This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

UNS. 105 e. 28

TAYLOR INSTITUTION

DOMI MINA
NUS TIO
ILLU MEA

745.

a

2 H.

JOANNIS COMMIRII


E SOCIETATE JESU

OPERA POSTHUMA.

PARISIIS,
Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiæ Scien-
tiarum Academiæ Typographum, viâ Jacobæâ,
ad Solem aureum.

MDCCIV.
Cum Privilegio Regis.

INSTI



Aut curam imponit populis
aut otia Musis. Claudian.

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

DE MALEZIEU

SUPREMI

DUMBARUM PRINCIPIS

CANCELLARIO.

Habebit, opinor, Libellus hic, VIR ILLUSTRISSIME, *quod ipſi non apud alios ſolum, ſed apud Te etiam autoritatem non mediocrem & gratiam conciliet. Nemo eſt enimverò cui verendum non ſit Commirii nomen, tibi carum in paucis eſſe certo ſcio; atque facit ea, quâ viventem complexus es, benevolentiæ ſingularis, ut demortui quodcunque ſupereſt, tibi acceptum fore confidam.*

a

2^{tt}.

JOANNIS COMMIRII


E SOCIETATE JESU

OPERA POSTHUMA.

PARISIIS,
Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiæ Scientiarum Academiæ Typographum, viâ Jacobæâ, ad Solem aureum.

MDCCIV.
Cum Privilegio Regis.

INSTI



Aut curam imponit populis aut otia Musis. Claudian.

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

DE MALEZIEU

SUPREMI

DUMBARUM PRINCIPIS

CANCELLARIO.

Habebit, opinor, Libellus hic, Vir Illustrissime, *quod ipſi non apud alios ſolum, ſed apud Te etiam autoritatem non mediocrem & gratiam conciliet. Nemo eſt enimverò cui verendum non ſit Commirii nomen, tibi carum in paucis eſſe certo ſcio; atque facit ea, quâ viventem complexus es, benevolentia ſingularis, ut demortui quodcunque ſupereſt, tibi acceptum fore confidam.*

Quin cùm ſumpſi hoc ut eximii hujus Scriptoris opera poſthuma tibi conſecrarem, viſus mihi ſum, mentis ejus atque Conſilii particeps, id tentare; quod ipſe, ſi vixiſſet, facturus erat, ut tuum erga ſe ſtudium iſtâ memoris animi ſui ſignificatione compenſaret.

Quanquam quid eſt cur longius perſequar cauſas eas quæ ſuppetunt erudito cuilibet ut te ſuis operibus, dum prodeunt in lucem, patronum aſciſcat; quem tam ſtudioſum litterarum cultorem, tam providum in vendicandis ab interitu, & poſteritati commendandis eruditorum ſcriptionibus, tam ſagacem rerum iſtarum æſtimatorem novimus.

Quæ quidem ipſa ſagacitas atque prudentia, in omnes vitæ tuæ partes ita diffunditur, ut mirum non ſit, ſi Te unum è multis, Rex veræ laudis diſpenſator æquiſſimus, junioris Principis moderatorem adhibuerit; ſi idem ille Princeps factus grandior Conſiliarium Te ſibi, atque in eo quem gerit Principatu alterum à ſe eſſe voluerit; ſi aliis è Regiâ ſtirpe

Principibus in deliciis es, ut carere tuo conſortio non niſi ægrè poſſint; ſi demum Academiæ percelebres duæ, nactæ in te, altera purioris ſermonis artificem ac magiſtrum, altera reconditioris doctrinæ Inveſtigatorem perſpicaciſſimum, ſocium Te ſibi communibus ſuffragiis cooptarint.

Quæ quidem decora vereor ut modeſtia tua ſingularis poni tibi ante oculos atque extolli, prout debent, ſinat: verùm ignoſce, VIR ILLUSTRISSIME, *atque hoc da toti Eruditorum nationi, ut veros animi ſenſus aperiant, quique ſe tibi infinitis propemodum obligatos beneficiis agnoſcunt, laudes ſaltem vectigales, quod unum poſſunt, rependant.*

Mihi verò concedi à Te poſtulo, ut qui plus tibi debeo quàm ceteri, ſtudium quoque Tibi meum liceat impenſius profiteri,

VIR ILLUSTRISSIME,

Tibi devotiſſimus atque addictiſſimus
JOANNES BOUQOT.

ELOGIUM.

JOANNES COMMIRIUS e Societate JESU, natione Gallus, Patriâ Turonenſis, cùm ſcriptis apud literatos homines, tùm virtutibus apud ſuos clariſſimus extitit. Etſi humanitatis ſtudia inprimis amabat, tamen Theologiæ docendæ operam dedit per plures annos, non ſine magna perſpicacitatis commendatione. Natus Poëta, ingenium ſublime juxta & ſolidum, multâ veterum Authorum lectione perpolivit. Vim ingenii, partamque laboribus peritiam cumulavit amœnitate ſtyli tam fœcunda, ut quæ feliciter erat meditatus, feliciori calamo exprimeret.

In Fabulis præſertim Odiſque latinè ſcribendis tantum excelluit, ut harum limata gravitas, ac venuſtus ſplendor admirationem moveant; illarum concinnitas ornata, nobiliſque ſimplicitas imitationem excludant.

Cæterum neque ſententiarum magnificentiam, neque verborum dignitatem debebat afflatui cuidam quo Poëtæ agi perhibentur: Erat ipſi pro afflatu poëtico nati-

va mentis excelſitas, quæ cogitantem ſcribentemque nunquam deſereret.

Antiquitatis Sectator & æmulus etiam in ſuis nugis, perfectam ſani leporis & elegantiæ non fucatæ imaginem reliquit. Atque hoc Commirio forte defuerat unum, quod Auguſti ætate natus non ſit, niſi principis Auguſto majoris ætate vixiſſet.

Propenſioni ad litteras ſingulari decus afferebat ſumma pietas; quam eximio in Chriſtum amore; inſigni erga Dei Matrem obſervantia; maximo culpæ vel leviſſimæ metu aſſiduè fovit.

Erat officiorum, quibus per vitæ conditionem tenebatur, ſtudioſiſſimus. Flagrabat gloriæ Deo exhibendæ cupiditate, quæ foras quoque eminebat; & qua ductus, conferebat alienam in utilitatem quicquid otii à literis ſupererat. Amorem illi ſtudiumque conciliabant recta mens, & animi candor tantus, ut nemo eum vel aſtutiæ in agendo, vel ſimulationis in loquendo, unquam arguerit.

Robuſtum corpus ætas jam provecta nihil offendiſſe putabatur. Verum crebros cordis dolores ciebat humor profluens è felle: quod, cùm induruiſſet, læſit duritie ſuâ jecur, jecoriſque venas atterendo incîdit. Hinc exorta febris cum jugi ſanguinis effu-

ſione & inſolenti ciborum omnium faſtidio; vires paulatim exhauſit. Vigebat tamen debilitato in corpore firma mens, cujus ultimos partus Apoſtolicæ ſedi, in Ode ad Clementem XI. inſcriptâ, conſecravit. Denique ſpe recuperandæ valetudinis amiſſâ, cœpit animo ſedato, ut vita integerrimè acta poſtulabat, mortem opperiri: cui cùm ob reliquum robur ſatis diù repugnaſſet, ceſſit tandem, & Lutetiæ in regio Ludovici Magni Collegio extremum halitum leniter efflavit, anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſecundo; 8. Kalend. Januarii.

ILLUSTRISSIMO PRÆSULI

P. DAN. HUETIO

EPISC. ABRINC. S. P. D.

J. COMMIRIUS

E SOCIETATE JESU.

CUm nuper in conſeſſu doctorum hominum, Præſul illuſtriſſime, tibique amiciſſimorum, ſermo injectus eſſet de plurimis Geographiæ ſacræ locis, quæ nondum ſatis explorata ſunt ab eruditis Librorum ſacrorum Interpretibus, ad Ophir & Tharſis converſa tandem eſt diſputatio. Quærebamus ubinam gentium ſitæ eſſent regiones navigationibus Tyriorum celebratæ, Salomonis & Hirami commercio inclitæ. Multa ſinguli, allatis in eam rem ſacrorum voluminum teſtimoniis, productis opinionibus veterum ac novorum Interpretum, dixere probabiliter. Magni clamores; acre & longum inter diſſidentes certamen. Quid te moror? Altercando crevit difficultas, vel deſperatio potius inveniendæ veritatis. Subiraſcebamur præcipuè doctoribus antiquis, qui de morali myſticoque verbi divini ſenſu adeò fuiſſent ſolliciti; cum ferè neglexiſſent, qui pertinet ad hiſtoriam, naturaliumque rerum cognitionem. Tu contra qui ad ſacrarum litterarum illuſtrationem ſtudia liberalium diſciplinarum contuliſti, ſummâ viſus es laude dignus; propterea que unus omnium maximè idoneus, ad quem integra obſcuri hujus argumenti referretur diſ-

ã v

ceptatio. Ego verò interpellandi tui, & ad hanc lucubrationem provocandi partes in me ſuſcepi: gnarus ſcilicet aſſiduam illam ſollicitudinem & paſtorales curas, quas Diœceſeos tuæ adminiſtrationi tribuis, nihil delibaſſe de veteri noſtra neceſſitudine; nec ita avertiſſe animum tuum à priſtinis ſtudiis, quæ exculta eſſe ſcimus à vetuſtis & ſanctis Epiſcopis, ut non aliquid etiam temporis in quæſtionis hujus tractatione, amicorum rogatu, collocare velis. Tui nunc eſt officii, Præſul Illuſtriſſime, tuæque humanitatis, reconditius aliquid ac certius, ſi potes; quid autem non potes? nos docere.

Tu prius Edenos, regnum felicis Adami,
Luſtraviſti hortos, ruraque culta Deo.
Jam tollit caput Euphrates, Tigriſque, Geonque,
Et rutilis Phiſon conſpiciendus aquis.
Cur Ophira, auro fortunatiſſima tellus,
Tharſis & argenti fertilis ora latet?
Pande viam, diteſque ignota per æquora terras
Quærentem, ſcopulos, cæcaque ſaxa doce.
Non veſanus opum, contentum ſimplice vita
Urget amor, veri ſola cupido trahit.
Cernere ſi verum dederis, non dives Hiramus,
Non Salomon nobis ſe feret ipſe parem.

Vale, Præſul Illuſtriſſime; & quod jam dudum facis, perge me amare. Lutet. Pariſ. Id. Quintil. M D C. XCVI.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE Viro Joan. Commirio è Soc. Jeſu S. P. D. P. D. Huetius Epiſcopus Abrincenſis.

REm poſtulas à me, Doctiſſime Commiri, diffi-cilem atque gravem, obſcuri illius de navigationibus Salomonicis argumenti tractationem; in qua verum perſequi, res eſt multæ operæ & laboris; attingere non magnæ laudis; ab eo errare, probri alicujus. Novimus ingenia noſtrorum hominum adeò ab omni liberali eruditione averſa, ut quantum decoris olim ex ea, tantum hodie contemtus proveniat, & qui hanc ætatem priſcis retrò ætatibus anteponere ſatagunt, ſimul ii imperitiam haud dubiè præferant doctrinæ. Quotus quiſque nunc rectis graſſatur ſtudiis ad ſinceram illam ſcientiam in ardui & prærupti montis culmine poſitam? Fucatam hanc ambiunt, in infirmis radicibus ſedentem, leviſſimaque ejus tinctura infuſcati procedunt; quod deeſt à diligentia & ab aſſidua multorum annorum contentione, ſine qua fruſtra aſpirant ad veram eruditionem, id ferè ſumentes ab audacia. Ac fuit illud tempus, neque vetus admodum, cùm ab ineunte pueritia continerentur adoleſcentes in bonarum artium ſtudiis, ſevera mitigarentur & continua lectione, antiqua exemplaria verſarent diurna ac nocturna manu, impalleſcerent chartis; atque ita demùm ad compeſcendas diſciplinas acuerentur in futurum, ut nec in flexu ætatis remitterent quicquam de labore; nec prodeuntibus ſubinde annis, capti voluptatis illecebris remolleſcerent. Hinc extiterunt magni & excellentes viri, quorum monumenta ſplendorem attulerunt illi ætati & genti noſtræ. Nunc relangueſcentibus annis,

ã vj

& in deſidiam pronis, compendiariæ quæruntur ad ſcientiam viæ per excerpta librorum, per ἐκλογὰς, per παρεκβολὰς, per ἀνθολογίας, per χρηστομαθειῶν, per φιλοκαλίας, per indices, per multiplex Dictionariorum ſubſidium: quod quid aliud eſt, quàm alere ſocordiam, favere inſcitiæ, deſerere fontes, lacunas conſectari, & artem quærere nihil ſciendi, per quam triduo perceptæ res, trihorio dilabuntur? Qualia quotieſcunque acta eſſe meminimus, certa fuerunt vergentis in barbariem ævi indicia. Jam ad me quod attinet, neminem omnium minus conveniebat ad hanc exercitationem provocari, ſæpius jam ſiniſtra nonnullorum hominum de me ac ſcriptionibus meis expertum judicia: quæ licet palam viſa ſint, & iniqua & inepta, vix tamen impetrare potui ab animo meo, ut illa pro eo ac debebam, contemnerem. Poſtrema ſtudiorum noſtrorum fœtura fuit diſquiſitio De ſitu Paradiſi Terreſtris. Quam putas, COMMIRI, gratiam fuiſſe in vulgus lucubrationis hujus? Nempe levis & ſupervacua viſa eſt viris quibuſdam, gravibus cæteroquin & cordatis, at hujuſmodi litterarum plane expertibus. Nec defuerunt, qui perſonæ noſtræ minus idoneam prædicarent. Quî minus verò nobis, quàm Ambroſio aut Moſi Bar Cepha, aut Marco Eremitæ, ut recentiores longe plurimos ſileam, qui in eodem verſati ſunt argumento, libroſque nobis reliquerunt ejuſdem tituli? quàm Baſilio, & Ephræmo, qui palam ad populum quæſtionem eandem totis Homiliis explicarunt? Licuerit-ne verò Tertulliano ſcribere de pallio; Epiphanio de duodecim gemmis, De ponderibus & menſuris; Euſebio & Hieronymo, De ratione temporum; huic item De locis, De nominibus Ebraïcis? Licuerit-ne Auguſtino, Iſidoro, Anſelmo, Grammatica; Auguſtino item, Boëthio, Johanni Damaſceno, Alberto, Thomæ Aquinati, Philoſophica; Bedæ & Vincentio Bello-

vacenſi diſciplinas propemodum omnes à Grammatica ad Theologiam ſcriptionibus ſuis complecti; Bedæ quoque De ſitu Jeruſalem, De interpretatione nominum Ebraïcorum & Græcorum quæ habentur in Libris ſacris; De Tabernaculo, ſacriſque veſtibus atque vaſis, commentarios edere: mihi haud paulo nobiliorem materiem ſumere jus faſque non fuerit? Paulo ante prodierat à me liber De concordia rationis & Fidei, in quo præter cætera ex ipſius rei viſceribus deprompta argumenta, hoc uſus ſum: nihil ad credendum aut agendum proponere Chriſtianam Religionem, adeò ab hominum ratione, moribus & communi agendi uſu remotum, quod ipſum, ejuſque ſimile, aut etiam gravius, receptum & uſitatum non ſit à ſapientibus aliquibus hominibus, aut iis potiſſimùm gentibus, quæ prudentiæ, virtutis & doctrinæ laude floruerunt. Nam quid utilius in ſanctæ noſtræ Fidei tutelam afferri poterat? Quid tritius in ſcriptis veterum Eccleſiæ Patrum, Juſtini præcipuè, Theophili, Tatiani, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Origenis, Euſebii, Theodoreti, Auguſtini, aliorumque multorum, quàm Chriſtiani nominis perduelles ſuo ſibi gladio jugulare? Unius modo, de ſexcentis, Alexandrini Clementis * auctoritate utar. Scripſerat ille, fuiſſe à Græcis traditum columnam igneam Thraſybulo exules in patriam noctu reducenti præluxiſſe, obſcuro & illuni cœlo. Tum ſubjicit, hinc igitur credibilia fieri Græcis, quæ de columna ignea nocturni Ebræorum itineris duce à Moſe tradita ſunt; quando idem prædicant popularibus ſuis contigiſſe. Quæ ipſiſſima eſt, quam toto hoc libro tenuimus, argumentandi ratio. Et tamen dedimus pœnas obſcuris quibuſdam & confidentiæ pleniſſimis hominibus, qui licet imperitiæ ſuæ ſibi ſint conſcii, dictatores nihilominus ſe ferunt litterati orbis, & in tribunali ſe-

* Clem. Alex. Strom. 1. pag. 348.

dentes jus dicunt, quos ne in ima quidem eruditorum admittas ſubſellia Alio opere Philoſophiæ Carteſianæ, quæ multorum mentes infecit, labes perſequi inſtitueram, & ita quidem ut læderem neminem, nullius nomen appeterem. Inter complures tamen adverſarios extiterunt inverecundi nonnulli, ruſtici & abnormes, quibus pro argumentis maledicta fuerunt. A nemine verò maledicentia ſuperari ſe paſſus eſt Profeſſor neſcio quis Franekeranus; cujus nomini, fortaſſe & rei, melius conſuluiſſent ii ad quos pertinebat, ſi eum piſcandis potius in Groenlandia balænis, quàm tractandæ Philoſophiæ deſtinaſſent; ea eſt hominis feritas, ea in hac ipſa quam profitetur arte, fatuitas & ſtupor. Vide tunc ergo, Vir optime, in hac judiciorum perverſitate quò me vocas: nam ſi hæc ad animum revocaveris tuum, fortaſſe me retraxeris ab hujuſmodi commentationibus, ne dum ad ea impuleris, quæ parum fortaſſe nobis decora futura ſint. Sin animo tamen pertenderis quod & futurum præſentio, atque eò etiam minus decere nos monueris, ex alienis arbitriis res æſtimare, quas ad certiorem recti & æqui normam exactas, utiles eſſe conſtet & honeſtas, tamen tribuimus authoritati tuæ & conſiliis, ut ea detrectare minimè nobis liceat. Præſtes modo eventum rei, & ſtolidi vulgi judiciorum ſecuros nos eſſe jubeas; neque privatis hiſce ſtudiis detrahatur quicquam de publica opera quam Deo debemus & Eccleſiæ. Atque ut abeſſent cætera, vel id unum moveret nos, quod in pari cauſa poſſumus pari adverſum te jure uti, & tam diu promiſſam Anglicorum bellorum hiſtoriam abs te flagitare. Quamvis autem tot annorum tarditatem, ſi bene te novimus, debeamus diligentiam interpretari, ſic tamen habeto, non poſtremam illam eſſe artificis laudem, ſcire deſinere. Hoc ſi feceris & juxta Heſiodi præceptum levis hujuſce opellæ tenue donum renumeratus ſis ſplen-

didiori illò munere, præclarè de me; déque te ipſo & de literaria re fueris meritus. Vale. Abrincis, 6. Id. Sextil. M. DC. XCVI.

AD COLLIGENTEM OPERA

COMMIRII

SYMBOLUM.

ADAMAS.

LEMMA.

Eſt & fragmentis pretium,

Qui ſteriles inter jacet indiſtinctus arenas
Neglectus, ſine honore lapis, ne ſperne, jacentem
Collige, nulla licet lapidi ſit gratia, gemma eſt,
Aſt informis adhuc, nulloque polita labore.
Verum age, nunc dites oculis ſcrutare latebras;
Aſpicis ut, Phœbi ſi grata refulſerit aura
Emicat, & tremulâ fractim ſe luce coronat,
Atque vibrat, radiis quos Sol exſuſcitat, ignes.
Sed gratus mox creſcet honos, ſi terſa lapillum
Perpoliat manus, & doctâ limaverit arte:
Hunc Reges geſtare velint, hoc cingere frontem
Pontifices, ſacramque velint ornare tiaram.
Fragmenta exciderint lapidis ſi forte ſecando
EST ET FRAGMENTIS PRETIUM, nec parvus in uno
Fit quæſtus, lapidis tanta eſt præſtantia, fruſto.
Non aliter, COMMIRE, licet felicius auream
Perpluerat multo cœlum tibi nectare mentem,

In te corporeâ ſub mole, benigna latebat
Ingenii vena, & divinæ particula auræ,
Nemo tibi tantumque ſalis, tantumque leporis
Quantum erat,& quantum ſpirant tua ſcripta,dediſſet.
At ſemel ac placido facilis te lumine Phœbus
Spectat, & illuſtres circum præcordia flammas
Accendit, quæ vena, quis impetus! aurea fundit
Carmina, divino non inficianda Maroni,
Sive tuos, Lodoix, digno canat ore triumphos;
Sive tuas ſeptemgeminis è montibus Echo
Romula, ſuſtulerit, Clemens, ad ſidera laudes!
Seu Condæa pari ingenio celebraverit arma!
His etiam quæ Muſa rudis, nec lima polivit
Fragmentis pretium: Tu cui magis omnibus uni
Commirii famam commiſſa eſt cura tueri,
Sparſoſque immemori Verſus ſubducere letho,
Collige & abſtruſos lucem da cernere partûs.

Ren. Dorival S. J.

COMMIRIUS
IN
PARNASSUM
RECEPTUS.

COMMIRIUS triſti conſumptus viſcera morbo
Deficiebat agens animam, vatiſque canori
Vox blandum ſub morte melos cycnea canebat.
Interea levibus pennis juga ſumma tenebat
Fama, ferens ſacro vatem ſuccedere monti.
Viſæ lætitiâ motare cacumina lauri
Adventante viro; cytharæque, lyræque ſonabant
Sponte ſua, ſonituque procul nemus omne fremebat.
Ipſe etiam adventu vatis lætatus Apollo
Concilium vocat: errabant hinc inde poëtæ:
Heroas circo in magno ſpectabat in armis
Virgilius. Flaccum ſublimem collis habebat,
Collis in aërias ſe tollens vertice nubes,
Quo nunquam volucrum vulgus volat: una tonantis
Alès, inacceſſos rapido petit impete tractus.
Parte alia incluſum qua ſe ſe exporrigit æquor
Moribus ingenuis, & cultu ſimplice Phædrus,
Mollibatque feras dictis, facilique ferarum
Exemplo indoctos homines ad recta trahebat.
Convenere omnes; ut facta ſilentia tectis,
Ecce novus ſubitò ſuccedit ſedibus hoſpes:
COMMIRIO ingenti vatum chorus aſſurrexit.
Mirantur capitiſque nives, faciemque verendam,
Miranturque oculos, frontemque, ſeniliaque ora:
Ardor ineſt oculis, fronti decus, enitet ore

Majeſtas, cuncta in magno ſunt magna Poëta.
Quæritur hic Pindi qua ſit ſtatione locandus.
Quiſque ſuis optare choris: placet omnibus unus
Hoſpes, & ambitum ſibi quiſque expoſcit honorem.
Virgilius vatum princeps heroïca laudat
Carmina; ſublimes numeroſus Horatius Odas;
Fabellas Phædrus: pariter ſibi debita cuncti
Pignora chara petunt: tandem ſic æquus Apollo
Judicat, ut victor poſſit ſibi quiſque videri.
Parcite, ait, de COMMIRIO contendere Vates:
Alter Virgilius dum vixit, Horatius alter
Alter Phædrus erat; nunc non erit omnibus impar.
Docte Maro, tuus hunc alternis circus habebit;
Alternis illum tua prædia Phædre videbunt;
Tecum Flacce tui ſcandet capita ardua montis
Altius aſſurgens: non uno carmine clarum
Nempe decet ſedes teneat non una Poëtam.

F. A. LE FEBVRE. S. J.

In elegantiſſimas Commirii Fabulas

EPIGRAMMA.

FAbula Commirio ſcribi incipit : Ecce Poëtæ
Certat ſe Charitum ſiſtere turba ſuo.
Ad ſpeculum ſed amans fuci paulùm una moratur,
Et veniens factum ſe ſine vidit opus.

N.

TRADUCTION.

Commire, ce Poëte admirable
Qui n'a point en ſon art de pareil aujourd'huy
Alloit compoſer une Fable ;
Les Graces à l'envy courent s'offrir à luy.
Une, qui quoique Grace aimoit un peu le fard,
Fut un moment à ſa toilette :
Il n'en falloit pas plus pour arriver trop tard,
Elle trouva ſa piece faite.

N.

LA PETITE MUSE.

A MADEMOISELLE DE SCUDERY, Pour le Jour de ſa Feſte.

Ces Vers accompagnoient une belle gravûre antique, qui repreſentoit une petite Muſe joüant de la Viole.

Recevrez-vous mes excuſes,
Sapho, ſi dans ce beau Jour,
La plus petite des Muſes
Oſe vous faire ſa cour?

Il faudroit eſtre plus grande,
Je le confeſſe entre nous,
Pour vous porter la guirlande
Qu'Apollon choiſit pour Vous.

C'eſt aſſez, ſi ma Viole
Peut ne vous pas rebuter,
Mais quel chant ſera frivole,
Si vous daignez l'écouter?

Sous les loix de noſtre Empire
Le grand Orphée autrefois
Sçut attirer par ſa lyre
Et les rochers & les bois.

Par mes acords plus puiſſants
Je raſſemble en ces beaux lieux
Toute la troupe éclatante
Et des Heros & des Dieux.

Je veux que ſur cette rive
En foule ils accourent tous,
Avoir l'oreille attentive
Aux airs que je dis pour vous.

Bien loüer vôtre merite
Eſt mon unique deſir,
Juſqu'au delà du Cocite
On regrette ce plaiſir.

Pourquoy n'ay-je les richeſſes
Que Pluton garde en ſon ſein?
De vos vertus mes largeſſes
Seroient le tribut certain.

Dans le Temple de Memoire,
Où vivent tous les grands noms,
Sapho du moins voſtre gloire
Retentira par mes ſons.

Mes ſœurs ont la voix plus belle,
Vous l'avez vëu mille fois;
Mais j'ay beaucoup plus de zele,
Si j'ay beaucoup moins de voix.

Jamais, ſi je ne m'abuſe,
N'auront eſté de moitié
Ni de plus petite Muſe,
Ni de plus grande amitié.

M. DE BETOULAUD.

REPONSE
DE SAPHO
A LA PETITE MUSE.

Ne me faites point d'excuſe,
Quand vous me faites la cour :
Vous pouvez, petite Muſe,
Vous montrer au plus grand jour.

J'ay vû le Sçavant COMMIRE
Loüer vos aimables Vers,
Luy dont la charmante lyre
Enchante tout l'univers.

Ce qui plaiſt à ce grand homme
Doit plaire aux plus envieux,
Luy qui dans l'antique Rome
Des hommes eût fait des Dieux.

Aprés un tel avantage
Ma voix ne ſe compte pas ;
Mais bien plus loin que le Tage
On va loüer vos appas.

Mademoiſelle DE SCUDERY.

AU R. P. COMMIRE,

SUR SES VERS

ODE.

UN Dauphin portoit ſur les mers
Arion joüant de ſa lyre,
Mais un Aigle au milieu des airs
Te tranſporte, fameux COMMIRE.

C'eſt ſur cet Oiſeau ſans pareil
Qu'on te voit, quand tes mains choiſiſſent
Juſques dans le ſein du Soleil,
Les rayons qui nous éblouïſſent.

Vole ainſi toûjours à nos yeux,
Vole ainſi toûjours, ſçavant homme,
Et devance au milieu des Cieux
Les Aigles de la vieille Rome.

A LOUIS, *à cet autre Mars*
Nôtre François ne peut ſuffire;
C'eſt dans la langue des Ceſars
Qu'il faut que le monde l'admire;

La Seine doit ſe contenter
De voir cent merveilleux ſpectacles,
Mais c'eſt au vieux Tybre à chanter
Tant d'exploits & tant de miracles.

Pour loüer le plus grand des Rois
Et le plus ſage & la plus juſte,
Choiſiroit-il de moindres voix
Que celles du ſiecle d'Auguſte ?

C'eſt ſur ſes bords ſi renommez
Que noſtre langue a pris naiſſance,
Et tous nos mots furent formez
Dans le ſein de ſon Eloquence.

Mais cependant tu nous fais voir
Par ta plume vive & legere,
Que la Fille ne peut avoir
Toutes les graces de la Mere.

Que ſert-il que nos foibles mains
Tentent de tracer nos hiſtoires ?
Tu maintiens le droit des Romains
Pour l'éternité des Victoires.

M. DE BETOULAUD.

STANCES

STANCES

IRREGULIERES,

A L'OCCASION DE LA BELLE ODE Que le R. Pere Commire a faite durant ſa maladie.

Aſſis au bord de la fontaine
Que renferme Clermont dans ſon petit jardin ;
Et dont la fameuſe Hipocrene
Pourroit envier le deſtin,
Depuis que Coſſart & Rapin
Par leurs Vers immortels ont ennobli ſa veine ;
Je ſoupirois, mes yeux baignez de pleurs
Et tournez vers le ciel devoient aſſez lui dire
Qu'ils demandoient la ſanté de COMMIRE,
Dont mon cœur allarmé partageoit les douleurs.

❋

Tout ſembloit avec lui languir dans la nature
*Le * lierre vainqueur des hyvers*
Se dépoüilloit de ſa verdure
Craignant d'eſtre bientôt le prix des méchants vers ;

* On a arraché tout le lierre qui eſtoit dans le jardin.

Les Oiſeaux à ſa voix ſi ſoumis, ſi fidelles
Accablez d'un mortel ennuy
Cherchoient ailleurs, ce qu'ils trouvoient en luy
Et battant triſtement des ailes,
Rempliſſant l'air de cris aigus
Appelloient leur Orphée & ne l'entendoient plus.

Tandis que tout répond à mes juſtes allarmes.
J'entends un ſon harmonieux
Capable de toucher les Dieux,
Tant il avoit & de force & de charmes
Qui l'eût crû? ce divin accord
Naiſſoit ſous les doigts de COMMIRE,
Qui ſaiſi d'un ſacré tranſport
Avoit redemandé ſa lyre,
Moins pour ſoulager ſes douleurs
Que pour deplorer nos malheurs.

Il chantoit les combats, il chantoit cette guerre
Que des Princes jaloux, que des peuples ſans foy
Viennent de rallumer ſur l'onde & ſur la terre
Pour chaſſer de ſon thrône un legitime Roy.
Il portoit aux pieds du ſaint Pere
Les plaintes de l'Europe entiere,
Le conjuroit par ſes gemiſſemens
De calmer l'horrible tempeſte
Que l'Erreur & l'Envie aſſemblent ſur ſa teſte,
Et d'arracher le fer des mains de ſes enfans.

Ah m'écriai-je alors ! s'il eſt vray que le Cygne
Chante malgré ſes maux quand il eſt aux abois,
Et ſi la douceur de ſa voix
D'une prochaine mort eſt l'infaillible ſigne,
Quel doit eſtre mon trouble en ce cruel moment;
*Le Cygne de la * Loire eſt brûlé d'un feu lent*
Qui nuit & jour l'agite, le tourmente
Et malgré les douleurs qu'il ſent
Il élevé ſa voix, il chante,
Et ne chanta jamais avec plus d'agrément.

✱

O Ciel ! faut-il donc perdre une teſte ſi chere ?
N'eſtoit-ce pas aſſez d'avoir perdu Bouhours ?
Et toy, Phœbus, & toy qui veille ſur ſes jours,
Par quel crime a-t-il pû meriter ta colere ?
Il n'a point, dit ce Dieu, merité mon courroux :
(Banniſſez vos injuſtes craintes)
Mais il faut l'avoüer, il m'a rendu jaloux :
S'il n'eût de la douleur reſſenti les atteintes,
Tout Phœbus que je ſuis, je n'aurois aujourd'huy
Aucun avantage ſur luy.

authore R.P. Porée

* Le Pere COMMIRE eſt de Touraine.

SUR LES VERS FAITS à l'occaſion de la maladie du P. Commire,

Et ſur la mort du même Pere.

QVel eſt cet Inconnu qui des ſons de ſa lyre
Charme ce triſte ſejour
Où ma Muſe nuit & jour
S'afflige, languit, ſoûpire,
Depuis qu'en un lit COMMIRE
Eſt en proye à la douleur ?
Qu'à ſes triſtes accens il meſle de douceur!
Que ſa plainte eſt naïve & pure!
Je croy que la ſimple Nature,
D'un Mortel empruntant la voix,
Exprime les maux qu'elle endure,
De voir ſujet aux dures loix
Du deſtin, des Parques cruelles,
COMMIRE, qui plus de cent fois
Publia ſes beautez nouvelles.

Ouy, de quelque côté que je tourne les yeux,
Tout ce que la Nature a de plus precieux
Semble s'intereſſer à ſes douleurs mortelles.

Icy je vois deux * ruiſſeaux
Qui l'un de l'autre rivaux
Brûleient jadis au ſein de l'onde,
Roulant languiſſamment leurs eaux
Temoigner leur douleur profonde.

* Piece du P. Commire, *Rivi rivales.*

Là mille tendres Oyſeaux a
Qui venoient de leur boccage
Oüir COMMIRE *chanter*
Ont preſque oublié leur ramage ;
On les voit gemir, s'attriſter,
Et ſe plaindre en leur langage
Des pleurs qu'il va leur coûter.

Là je vois de Saint Cloud b *les Naïades touchées*
S'affliger de nos douleurs,
Et de leurs urnes panchées
Au lieu d'eau verſer des pleurs.

Là les hêtres perdant leur force
Sont dépoüillez de leurs feüillages verds :
On y lit ſeulement les Vers c
Que COMMIRE *autrefois grava ſur leur écorce.*

Là les volages Zephirs d
Pouſſent avec regret leurs mourantes haleines,
Et pour mieux exprimer leurs peines
Se transforment en ſoupirs.

En un mot tout ce que COMMIRE
Anima des ſons de ſa lyre,
Vient d'un cœur reconnoiſſant,
Prendre part aux maux qu'il ſent.
Tout languit avec luy, tout ſe plaint, tout murmure,
Les Dieux, même les Dieux protecteurs des beaux Arts,
Semble ſeconder la Nature.

Icy j'apperçois le Dieu Mars

a Pſittacus, acanthis Neuhuſiana, Cicures Luſciniæ, &c.
b *Sancloviani Fontes.*
c Vers qu'il grava ſur l'écorce des arbres de Gentilly.
d Les Vers ſur le Zephire.

Ou CONDE', *car c'eſt même choſe,*
Senſible à la douleur que cauſe
L'eſtat où COMMIRE *eſt réduit,*
Lire les Vers a *plaintifs, qui ſont le dernier fruit*
De ſa Veine à demy mourante.
Jamais chant plus melodieux
Ne frappa l'oreille des Dieux,
Jamais l'Europe ſuppliante
Ne gemit, ne ſoupira mieux.

Phœbus de ſon côté veut rompre ſa guitare
Si du deſtin l'ordre barbare
Ne s'adoucit en ſa faveur:
Car quel autre aprés COMMIRE
Peut avec autant de douceur
Chanter ce que Phœbus inſpire?

Le ſeul amour eſt triomphant;
Ce prophane, ce traître enfant,
Qui jadis ſur le Parnaſſe
Ravit la premiere place,
Et qui de ſes traits vainqueurs
Perçoit les plus chaſtes cœurs b,
Outré de ſe voir par COMMIRE
Déchû d'un ſi bel Empire c
Croyant le voir au tombeau
D'aiſe rallume ſon flambeau.

Amour, ne chante pas victoire;
Il n'eſt pas ſeur encor qu'il paſſe l'onde noire,
Quand même tu verrois COMMIRE *au rang des Morts*
Comme Orphée, il pourroit revenir ſur la terre,
Et pour te déclarer la guerre
Repaſſer les ſombres bords.

a Sa derniere Piece, *Europa ſupplex.*
b La Piece qui a pour titre, *Cupido multatus in Parnaſſo.*
c Tous ces Vers ont eſté faits pendant ſa maladie.

Et vous, Parques inhumaines,
Ne croyez pas Phœbus de COMMIRE *jaloux* *,
Ce Dieu plus encore que nous
Attendry de nos maux, & ſenſible à nos peines,
Si COMMIRE *ſe taiſt, ſe taira pour toûjours.*
Ciel ! termineroís-tu de ſi precieux jours ?
Qu'entens-je? & que m'annonce un ſon triſte & funeſte ?
Ah ! COMMIRE *n'eſt plus ; & tout ce qui me reſte,*
Quand je vois le Parnaſſe & les Muſes en deüil,
C'eſt de briſer mon luth ſur ſon cercueïl.

* Alluſion à ce qu'avoit dit l'Autheur de l'Ode precedente ſur la fin de ſa derniere Stance.

A L'AUTEUR INCONNU

Qui attribuë la mort du P. COMMIRE
à la jalouſie d'Apollon.

Vous qui par des regrets ſi tendres
De COMMIRE *honorez les cendres,*
Déguiſez ſi bien voſtre nom,
Qu'il ſoit ignoré d'Apollon.
Puiſque ce Dieu *confus de trouver dans* COMMIRE
Un rival qui pouvoit partager ſon Empire,
A voulu par ſa mort ſignaler ſa fureur :
Ne vous expoſez point à ſa jalouſe rage,
Quand il aura lû vôtre ouvrage,
S'il en connoiſt jamais l'Auteur,
N'eſperez pas qu'il le ménage.

EPITAPHE
DU P. COMMIRE.

CY giſt COMMIRE *dont la Loire*
A vû couler les premiers jours ;
Et dont elle verra la gloire
S'étendre au-delà de ſon cours.

Il fut Poëte par nature ,
Mais il ne le fut pas ſans art ,
Et ſa veine fertile & pure
Ne coula jamais au hazard.

On admira ſon beau genie ,
Et l'on aima ſa probité :
Ses mœurs , ſon air , ſa Poëſie ,
Tout reſſentoit l'antiquité.

Il devoit naiſtre ſous Auguſte
Dans le ſiecle des beaux eſprits ,
Si le Ciel par un choix plus juſte
Ne l'eût fait naiſtre ſous LOUIS.

* *

ERRATA.

PAg. 91, lin. 14. Cœmenis, *lege* Camœnis.
P. 280, lin. 10 & 11. Laus tibi ſit, *lege* Laus ſit tibi.

JOANNIS

JOANNIS COMMIRII

E SOCIETATE JESU

CARMINA.

TOMUS ALTER.

INNOCENTIO XII. PONTIFICI MAXIMO.

NE DE TUMULO SIBI, UTI facit, extruendo cogitet: reconciliatis Regibus, & pacato Orbe, non defore illi perenne Monumentum.

ODE.

VERENDE Paſtor Regibus & Deo
Nomen ſecundum, qui facili manu
Graves habenas flectis Orbis;
Arbitrioque tuo recludis,

Claudiſque Olympum, Clave Petro datâ;
Quæ tanta vitæ te ſatîas tenet,
Primos ut inter Regni honores
Ipſe tibi properes ſepulchrum?

Urnæ, INNOCENTI, triſtis imagine
Augere luctus deſine publicos,
Et fata Terrarum memento
Stare tuis religata fatis.

Vides ut immani ardeat undique
Europa Bello. Mentibus efferis

A NOSTRE TRES-SAINT PERE LE PAPE.

QU'IL NE DOIT PAS SONGER à ſe faire dreſſer un Tombeau : Qu'aprés avoir reconcilié les Princes Chrétiens, & pacifié l'Univers, la Poſterité luy conſacrera un Monument éternel.

Pontiſe, à qui les Rois rendent un juſte hommage,
Et qui du Tout-puiſſant es la plus noble image ;
Premier Chef, aprés Dieu, de l'Empire Chrétien,
Dont ta vertu ſublime eſt le ferme ſoûtien ;
Qui recevant des Clefs le pouvoir efficace,
Diſpoſes ſagement des treſors de la Grace :
Es-tu las de joüir, dans la pourpre & l'éclat,
Des honneurs conſacrés à ton Pontificat ?
Faut il qu'avant ta mort le tombeau nous envie
Les reſtes précieux de ton illuſtre vie ?
Eloigne de nos yeux ton urne & tes cyprés ;
N'aigris point nos malheurs par ces triſtes appreſts,
Et croy qu'aux plus grands maux la Terre abandonnée
Du bonheur de tes jours attend ſa deſtinée.

In mutuam converſa Cladem
Tela faceſque ferunt dicatæ

Chriſto phalanges; non ſine Cœlitum
Horrore, ſacras flagitiis domos
Eheu! profanatas nefandis,
Atque ſuos cineres querentum

Impune ventis ludibrium datos.
Currunt in æquor ſanguine turgidi
Scaldiſque, Rhenuſque, & cruentis
Membra virûm laniata volvens

Iſter ſub undis. Jam male Sequanæ
Diſcors laborat non reparabili
Incendio, expertus minores
Eridanus Phaëtontis ignes.

Urbeſ-ne verſas, & viduos gemam
Agros colonis? Ut mare claſſibus
Stridens ſub ambuſtis, voraci
Gurgite ſorbuerit remiſtas

Nautis carinas? Nunc tumidis quoque
Vicina circum littora fluctibus
Portatur in morem triumphi
Naufragii miſeranda pompa.

Hæc irretortis luminibus juvat
Spectare, Reges? Nec pudor eſt opem
Negare mundo jam ruenti,
Jamque ſuâ populos trahenti,

Et vos ruinâ? Præcipitis gradum
Urgere fati parcite, publicæ
Si qua eſt ſalutis cura, pulſo
Longe odio, invidiâque triſti;

Vos ſaltem amicas jungite dexteras,
O certa Divum progenies, quibus,

Tu vois regner partout la Haine & la Fureur,
L'Europe ravagée eſt un objet d'horreur,
Et les Chrétiens, autheurs d'une guerre inteſtine,
Dans le ſang & le feu, courent à leur ruine.
Les Saints plaignent en vain leurs Temples deſolés,
Par des crimes affreux les Autels violés,
Et de leurs ſacrés corps la cendre venerable
Jettée en proye aux vents par une main coupable.
Déja le Rhin, l'Eſcaut, entraînés dans les Mers,
Y déchargent le ſang, dont leurs bords ſont couverts;
Le Danube, groſſi par un vaſte carnage,
Roule un amas de corps, qui tardent ſon paſſage.
Le Pô contre la Seine imprudemment armé
Au milieu de ſes eaux ſe ſent tout conſumé,
Et des flammes du Ciel dût jadis moins ſe plaindre;
Que du feu devorant, qu'il ne ſçauroit éteindre.
Dans ce comble de maux, qui couvrent l'Univers,
Dois-je pleurer lès Champs transformés en deſerts,
Ou des murs foudroyés les ruines fumantes;
Ou le ſpectacle affreux de deux flottes ardentes;
Les Vaiſſeaux abîmés avec les matelots,
Dans un gouffre profond qui s'ouvre ſous les flots;
Ou les pompeux débris des funeſtes naufrages,
Dont la Mer orgueilleuſe a paré ſes rivages.
Princes de l'Univers, témoins de nos malheurs,
Ces maux frapent vos yeux, ſans attendrir vos cœurs?
Pouvés-vous ſans effroy, laiſſer gemir la Terre?
Verrés-vous ſans fremir les horreurs de la Guerre,
Qui détruiſant le Monde, appuyé ſur vos bras,
Vous accablera tous ſous vos propres Etats?
Ceſſés d'aigrir le Ciel, dont les foudres ſont preſtes,
N'en hâtez pas le coup, qui menace vos teſtes.
Mais au bien des mortels conſacrés vos projets,
Aſſurés leur bonheur, en aſſurant la Paix;
Maîtres de vos grands cœurs, banniſſés-en la haine,
Et montrés les vertus d'une ame ſouveraine.

Præ gloriâ, præ ſceptri amore,
Relligio pietaſque cordi.

Quin ipſe dictis conditionibus
Compone natos jure tuo, Pater.
Funeſta, te pacem jubente,
Arma cadent manibus volentum.

Nec LUDOVICUS, Marte licet ſuo
Ubique felix, abnuerit prior
Comas triumphales olivâ
Poſthabitis religare lauris.

An fallor? Euris ecce jugalibus
Aſtræa puro labitur æthere,
Terraſque deſertas reviſit;
Quam niveum comitatur agmen,

Concordia, & Fas, & Pudor, & Fides
Ignara fraudum, grataque Fauſtitas,
Gaudenſque profudiſſe cornu
Copia ruris opes benigno.

Quácumque curru ſe tulit aureo,
Bellum repreſſis conticuit minis,
Tortoſque poſt tergum revincta
Anguibus horriferis lacertos,

Nequicquam Enyo perfurit impotens.
Unaque majus ſupplicium pati
Damnata, Ditis ſe ſub umbras
Hæreſis, Impietaſque condit.

Iſta INNOCENTI, temporibus tuis
Miracla rerum maximus Arbiter
Debetque, præſtabitque; honorem
Hunc etiam meritis rependet,

Pacem ut tueri compoſitam, & diu

Vous au moins, Rois Chrétiens, deffenſeurs de la Foy;
D'une étroite amitié gardés la ſainte loy,
Vous qui ſacrifiés & la gloire & l'Empire
A l'honneur de l'Egliſe, où vôtre zele aſpire.
Et toy, ſacré Pontiſe, uſe icy de tes droits,
Accorde tes Enfans, en accordant les Rois.
Pour eux tes ſaints conſeils auront de puiſſans charmes,
Et ta voix de leurs mains fera tomber les armes.
Pour deffendre l'Europe, & les droits des Chrétiens,
LOUIS *eſt le premier à renoncer aux ſiens;*
Quand ſa valeur partout entraîne la Victoire,
Il cherche dans la Paix une plus juſte Gloire,
Et ſuſpendant le cours de ſes ſuccés guerriers,
Veut preferer l'olive à ſes plus beaux lauriers.
Mais ſur l'aîle des Vents ne vois-je pas Aſtrée
Deſcendre avec éclat de la voute azurée?
C'eſt elle qui, propice aux ſoûpirs des Mortels,
Vient dans leurs triſtes champs rétablir ſes autels:
A ſes côtés la Foy marche avec l'Innocence,
L'Equité, la Concorde, & l'heureuſe Abondance,
Qui verſe à pleines mains ſes plus riches moiſſons,
Et fait du ſiecle d'or renaître les ſaiſons.
Au ſeul bruit de ſon char Bellone luy fait place,
Elle fremit de crainte, en calmant ſon audace;
Et ſes bras, enchaînés par d'horribles ſerpens,
Font, pour briſer leur joug, mille efforts impuiſſans.
L'Impieté, l'Erreur, ces deux fieres victimes,
Souffrent à ſon aſpect la peine de leurs crimes;
Et pour ſe dérober à l'éclat qui les ſuit,
S'abîment dans l'horreur de l'Infernalle nuit.
INNOCENT, *le vray Dieu, diſſipant ces obſtacles,*
A ton Pontificat reſerve ces Miracles;
Il doit ce juſte prix à tes rares Vertus.
Oüy, triomphant bientôt de ces monſtres vaincus,
Tu joüiras des fruits d'une paix immortelle,
Et du bonheur de Rome établi par ton zele;

Felice Româ fas tibi ſit frui.
At poſtquam Olympo jam receptus,
Auxeris indigetes beatos;

Tum pro ſepulchro quod ſtruis, alterum
Labore claro Pyramidum altius,
Buſtoque Mauſoli ſuperbo,
Poſteritas tibi grata condet.

Ibi revinctus tergeminâ caput
Stabis Coronâ, Regibus ad pedes
Utrimque proſtratis amorem
Præcipiens revocare priſcum.

Brevique ſubter carmine, quod genis
Miratus hoſpes perleget humidis,
Scribêre ſervati fuiſſe
Pacificus moderator Orbis.

JOANNES COMMIRIUS Societ. Jeſu.

Mais ſi-tôt que, placé parmi les ſaints Heros,
Tu recevras la gloire acquiſe à tes travaux,
Nos Neveux dreſſeront des Monumens ſolides,
Qui braveront l'orgüeil des hautes Piramides;
Et leur zele ſçaura, ſur le marbre & l'airain,
T'ériger un Tombeau digne du nom Romain.
On y verra briller ton auguſte Perſonne,
Par l'éclat immortel de ta triple Couronne;
Et tous les Rois Chrétiens, proſternés à tes pieds,
S'affermir dans la Paix, qui les aralliés.
Sur ce Marbre ſuperbe, où vivra ta Memoire,
Un Diſtique gravé celebrera ta Gloire,
L'Etranger par la joye attendry, penetré
Lira dans ces deux vers ton grand Nom conſacré;
INNOCENT a ſçû rendre, en étouffant la guerre,
Le repos à l'Egliſe, & la Paix à la Terre.

BOUTARD.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

FRANCISCO HARLÆO,

PARISIENSIUM ARCHIEPISCOPO,

DUCI ET PARI FRANCIÆ,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI,

SORBONÆ ET NAVARRÆ

PROVISORI,

S. R. E.

CARDINALI DESIGNATO.

VIRTUS ET HONOR.

VIRTUS. Honorem nuper his inceſſere
Cœpit querelis : Quamdiu HARLÆUM meum
Ornare ſacræ luce differs Purpuræ ,
Quam Roma debet , Orbis illi deſtinat ?
Scis ut meo nutritus à teneris ſinu ,
Ad laudis omne creverit faſtigium :
Minimaque ſit pars decoris innumeros retro
Duxiſſe per Avos Galliæ fauſtum genus.
Unde ortus , auxit gloriam Heroum nepos.
Humanus , aditu facilis , horarum omnium ,
Faſtûs nihil habet , aut trucis ſupercilî ,
Fortuna hominibus quod dat inſolens novis.
Jam quantus illi mentis excelſæ vigor ?
Quantas capaci condidit ſub pectore

Doctrina opes ? Ut dulcis vis blanda eloquî
Quà vult volentes ducit, animiſque imperat !
Quis melior illo res male ſociabiles,
Diadema, Mitram, Sceptra, Pedum, conjungere ?
Dei tueri jura, Principis fidem ?
Cervice fracta quòd vetus jacet Hæreſis,
Nova languet, exſpiratque; quod templis viget
Religio, Paxque ſancta diſcordes priùs
Devinxit animos, hoc opus grande eſt Viri.
Prudens remedium lenitas tulit malis,
Quæ contumax pejora feciſſet rigor.
Nec digna tot adhuc præmia meritis refert ?
Et par Tiaræ Pileo HARLÆUS caret ?
Plura additura verba ſuppreſſit dolor.
Cui ore placido lene ſubridens Honos,
Grata eſt amoris, inquit, objurgatio:
Tuoque Alumno dum faves, mihi faves.
At, ni fateri tute quod res eſt negas,
Haud parca in illum munera effudi manu.
Juvenem Cathedræ Patrui impoſui ſenis,
Minorque viſa eſt. Subdidi Regni caput,
Ipſumque Regem. Qui Dei leges ſacras,
Qui ſancta populis explicant oracula,
Suſpenſi ab ejus ore, quod dictat docent.
Nec Præſidem alium jam ſibi Patrum legunt
Concilia. Taceo cærulî Torquis decus,
Signoque inuſtam volucris ætheriæ Crucem,
Pariſque titulos, inclytum & nomen Ducis.
MAGNI potiri gratiâ quanti æſtimas ?
Quanti frequente viſu & alloquio frui ?
Nil ipſi in Aula, nil in arcano Imperî
Clauſum eſſe; Populi ſtudia Principi optimo
Et fata commendare; poſtremo omnibus
Prodeſſe poſſe, munus eſt certè meum.
Neque, ſi facultas, plura pœniteat dare;
Cur te anxiam dilata reddit dignitas,

Quam LUDOVICUS ſpondet, ALEXANDER parat!
Delata citiùs fuerat haud parvo quidem
Futura decori: nunc novum ex ipſo decus
Accipiet. Aliis Purpuram ſemel ſat eſt
Meruiſſe: ſæpe debita HARLÆUM decet.
Habuere plures, nemo ſumet dignius.

EMINENTISSIMO DOMINO
TUSSANO DE FORBIN DE JANSON,
S. R. E. CARDINALI,
BELLOVACORUM EPISCOPO ET COMITI,
PARI FRANCIÆ,
REGIORUM ORDINUM
COMMENDATORI.

TUSSANE Latiæ grande lumen Purpuræ,
Romam ſequutæ, dum ſtudiis certantibus,
Et Urbs, & omnis Aula gratantur tibi;
Noviſque plaudit ipſe Rex honoribus:
Neſcis fuiſſe cauſſa litis innocens,
Interque amica dulce diſſidium, æmulo
Pro te favore, ſuſcitaſſe Numina.
Juvat bona narrare rem viſam fide,
Etenim videre cuncta Vatibus datum eſt.
Quod ſi, pudori conſulens, ſub fabulæ
Celat ſe amictu, gratior erit veritas.

Ut Fama lætum nuntium centum tubis
De Vaticani publicavit vertice:
Statim per auras Francia aurato adfuit
Portata curru. venit & Polonia
Raptis tyranno Thraciæ bigis vehens.
Junxere dextras, atque mutuum oſcula
Teſtata amorem. Tum prior quæ fortibus
Dat Nympha leges Sarmatis: Quorſum huc pedem
Fers, inquit? unde inſueta gloriatio?
Cui Liliorum ſic regina retrulit:
'Antiſtes, oſtro Pilei ornatus ſacri,
Et me ſuperbam reddit, & tanto jubet
Romæ agere grates debitas pro munere.
Meaſne partes, occupat Polonia,
Viceſque ſumere te, Soror? ingrati notam
Inuris animi reddere dum grates vetas.
Nam quem petivi, quem meis ſuffragiis
Inducta honorem Roma FORBINO dedit,
Datum mihi profiteor, & acceptum fero.
Neque vana meriti eſt hæc mei jactatio.
Quid LUDOVICI, quid & ALEXANDRI favor
Profuerit, haud ignoro. Quamquam nil opus
Penſatione, nil opus fuit ambitu.
Debitaque dudum tot Viri virtutibus
Ni ſe obtuliſſet, erubuiſſet Purpura.
Tamen ego... Parce, Gallia infit, pluribus:
Agnoſco munus; & ipſe non eſt immemor.
Sed quod probavit ſe tibi: quod calculo
Legi tuo promeruit, hoc meo mihi
Aſſerere poſſum jure. Cuncta ſcilicet
Queis ſe probavit decora, mater contuli:
Clarum vetuſto ſanguine Heroum genus,
Speciem decoram, quæque promittat virum
Conſtantem, apertum, fallere & falli inſcium.
A me ille fluxit victor animorum lepos,
Simplexque, & Aulæ comitas fuci carens,

Felixque rebus in gerendis facilitas.
A me virilis, pura, ſponte profluens,
Et plena dignitatis eloquentia:
Quam ſtupuit Arnus; cui tuum Boryſthenem
Summittere undas ſæpe mirata es ſuas.
Memoremne lituos, inſulas, torques, cruces,
Specioſa honoris nomina, & quod omnibus
Meritó anteponat, LUDOVICI gratiam?
His gradibus illum ſacræ admovi Purpuræ.
Ne multa: tanto dignus eſt faſtigio
Tibi viſus; at ego par ut eſſet præſtiti.
Ea ille cuncta debeat ſanè tibi,
Reponit animis impatiens Polonia:
At debeo ipſi Principem, & cum Principe
Armis Viennam vindicatam ultricibus,
Tandemque turpi liberam Hungariam jugo.
Palmas, triumphos, immortalem gloriam,
Totam ipſa denique, nec pudet, me debeo.
Dicere paranti plura Roma intervenit,
Corona honeſtum vincta triplici caput.
Et ponite, inquit, rixæ amabili modum.
Eſt veſter, immo publicus FORBINI honos.
Lætorque in uno me feciſſe munere
Ejuſque meritis, omnium & voto ſatis.
Nec agere grates attinet: me, quæ dedi,
Quàm qui recepit, potius ornat purpura.
Lumen ſacro ingens gaudeo Senatui,
Petrique ſolio forte columen additum.
Relligio, quid valeret, experta haud ſemel
Nunc cuncta rebus fauſta ſpondeat ſuis.
Perenne inter vos fœderis ſit vinculum.
Illo & ſequeſtro Viſtula concors Sequanæ,
Utrique concors Tibris æterno colant
Se amore. Pergat frangere JOANNES Scythas.
Grandævus orbe MAGNUS pacato imperet.
Claves Olympi longiùs ALEXANDER gerat.
Tuque his diu, TUSSANE, amicis floreas.

IN VICTORIAM STEINKERKENSEM.

ODE.

PECCAVIT temerarius,
ORANGI, calamus: Muſaque pœnitens
Vitati malè prœlii,
Et raptæ LODOICO, indecori fugâ,
Palmæ te redimit probro
Pugnaſti, arma prior noſtra laceſſere
Auſus non timida manu.
At, quæ perpetua eſt ſors tua, victus es.
Nil tecti tenebris doli,
Nil juvêre, tibi quæ nimium placent,
Fauces & cava vallium,
Et ſaltus equiti non penetrabiles.
Franci acer peditis vigor,
Virtuſque exuperans rebus in arduis,
Et ſecura periculi,
Suffecit ſibi ſola: & ſpatium breve
Extendit gladio. Cadunt
Conjuratæ acies; atque ſuperbiæ
Dant pœnas MOMORANCIO,
Victori Batavûm plus vice ſimplici.
Sed quò martius abripit
Heroum juvenes progeniem furor?
Cerno BORBONIUM, graves
Cui ſubdunt ſtimulos Rex ſocer, & Parens

Magno par animis Avo,
Inter mille neces quærere gloriam.
Forti CONTIUS it gradu
Ignes per medios, perque ſonantia
Plumbi grandine nubila:
Hoſtileſque globos proruit; unguibus
Ut præpes Jovis armiger,
Et roſtro, volucres exagitat vagas.
Quàm penè ah! lacrymabili
CARNUTEM exitio glans dedit impia,
Anglos dum premit acriùs,
Nudoque enſe ferit terga fugacium.
Dii caro capiti manum
Prætendêre boni, ſtrictaque vulnere
Circum colla levi cutis,
Virtutis memorem vix retinet notam.
Inclementior ingruit,
TURENNI, tibi ſors. occidis, occidis,
Æternum Patrui decus
Æquature, animam fata ſuperſtitem
Ævo ſi ſinerent frui,
Nec flore in tenero ſpes meterent datas.
At ſolamen habes necis
Ingens. belligeræ tota Britanniæ
Tecum Nobilitas perit,
Et funus celebrat clade ſuâ tuum.
Fumant ſanguine Belgico, &
Cimbrorum refluunt arva cruoribus.
Scotorumque cadavera
Valles mole ſuâ montibus admovent.
Tanti NASSAVIO ſtetit
Se præſtare virum! Surpuerat fugâ:
Regi denique reddidit
Auctam non modico fœnore lauream.

FORTUNA
AD
MONTEM-MELIANUM
FULMINANS.

FORTUNA forti Catinato militat;
Gaudetque tanti ſigna ductoris ſequi.
Seguſio teſtis; quæque ſe victoriæ
Nicæa jactat nomine; & Bavari fugam
Sequuta clades; pulſus & campo Allobrox:
Ferroque domitus perduellium furor.
Nempe levitatem priſtinam incuſans Dea
Comes eſſe didicit conſilî & prudentiæ:
Patiturque ſe virtutis arbitrio regi.
Quà tortuoſis Iſara ſaxosùm ſonans
Ægrè urget undas vallibus, ſtat arduo
Arx montis apice: quæ loci ingenio, & manu
Munita ſæpe riſit hoſtiles minas:
Fuitque belli longa præſentis mora.
Hanc premere Catinatus obſidio tamen
Aggreſſus. Animos ipſe ſubjecit labor,
Amorque laudum, Regis & felicitas.
Ergo admoventur caſtra. per rupem inviam;
Cauteſque acutis horridas mucronibus
Via eſt ſecanda. Non habet miles pedem
Ubi figat, itur manibus. In vivo aggerem
Vallumque ſaxo ſtruere nequaquam licet,
Portatur agger corbibus. latis humus
Congeſta ſaccis mobilem vallum facit.

Nec tantum iniquo cum loci Gallus ſitu,
Scopuliſque pugnat. hoſtium auxilio venit
Sævis December invehens Aquilonibus;
Hiemſque conjurata ab Arctoo nives
Effundit axe. lubricus glacie ſilex
Pendente clivo vix tenet veſtigia:
Enſeſque dextris frigore aſtrictis cadunt.
Poſt tot labores montis abrupti jugo
Sediſſe, belli finis alterius foret:
Iter eſt ad arcem. maximus reſtat labor
Arx ipſa. Sed quid Catinati non poteſt
Superare virtus, fata LODOICO, & ſuum
Præbente Martem? Detonat fruſtra Allobrox,
Spargitque mortes deſuper: ſpretâ nece
Plumbi inter imbres ferreamque grandinem
Volat juventus. Ductor intrepidus præit,
Nec tam ſequentes voce quàm exemplo excitat.
Et jam profundæ, margine everſo, viam
Dedere foſſæ. jam cunicularius
Tellure murum ſubter ejecta ſubit:
Penituſque fundamenta ſcrutatur cavis
Immerſus antris. Pulvere opplendi igneo
Fornicibus hinc & inde laxantur ſinus.
Molis ruinam tertius ſpondet dies.
Hæc dum geruntur, aurea in nube aſtitit
Fortuna, pedibus mobilem rotam premens.
Et quamdiu, inquit, vertice elato jugum
Rebellis arx detrectat, & fatis ſuis
Luctatur? Atrox, video, meditatur nefas,
Diramque fraudem cæca deſperatio.
Prohibere muris non poteſt, muris poteſt
Obruere Francos, atque victorum brevi
Frui triumpho. Verùm in auctores dolus
Redibit. & quo fulmine ruinam dedit
Nicæa, eodem Mons ſuperbe corrues.
Tu, Catinate, pignus hoc noſtri alterum

Favoris habeas. ſcilicet tantæ foret
Ulla invidere decora virtuti pudor.
Sic elocuta ſulphure infartum & nitro,
Gravique ferri pondere immanem globum
Mille inter alios corripit. at illum cavo
Incluſum aheno flamma, dum quærit viam,
Vi multa ab imo protinus fundo expulit.
Stridet per auras maſſa funeſtùm rubens:
Et igneo arcu nubila & noctem ſecat.
Cadentis auget impetum ac vires Dea,
Cæcamque verſus ipſa detorquet ſpecum,
Ubi certa peſtis atque pernicies latet
Parata Gallo. Qualis æſtiva vapor
Sub nube clauſus mugit, & cælum gravi
Quatit tumultu: ſic ubi arentis pila
Delapſa cumulo pulveris flammam intulit,
Trucem dedere concavæ rupes ſonum,
Tremefacta tellus ingemit, ſaxis ruunt
Penitus revulſis mœnia, & vaſto vocant
Victorem hiatu. Ponere hinc ſuperbiam
Inſubria diſcas: tuque Taurinum time.
Fortuna forti Catinato militat.

VICTORIA LUDOVICO MAGNO ADDICTA.

ODE.

QUA Martis aſtrum, luce ſanguinea rubens;
Horrendùm Olympo fulgurat:
Invecta flammis reſtitiſſe dicitur
Curulibus Victoria;
Brevem datura, procul ab armorum ſono,
Longis quietem curſibus.
Et jam, reclinis faſce palmarum ſuper,
Blando ſopori ceſſerat:
Quum ferreo axe, gravibus & polos equis
Bellona quatiens adfuit.
Et, nata ceſſas, inquit, ac ſegnis jaces?
Dum LUDOVICUS claſſico
Ad nota nos vexilla bellator ciet:
Novaſque laurus offerunt,
Hinc urbs feroci quæ præeſt Hannoniæ,
Jugum timere neſcia:
Inde arce fruſtra triplici, ac imperviis
Nicæa fidens rupibus.
Nec petitur exprobrandus indigno favor.
Nemo arma ſumſit juſtius.
Tuenda Regum dignitas, populi ſalus,
Relligio caſta numinis,
Cauſa una belli eſt. LUDOVICUS hoc ſibi
Te jure propriam vindicat,

Videſne, ſolo patre progenies minor,
Delphinus ut campo exilit!
Aquilæque bis domator ardet pellere
Suis Leonem Montibus.
Acer Philippus te vocat, Naſſavio
Nomen fugaci cognitum,
Vocat & Philippo natus, à teneris necem
Jam doctus annis ſpernere:
Satuſque Franco Marte Condæus: pari
Et gloriæ inſtantes gradu
Borbonius atque Contius: & originem
Virtute adæquans regiam
Cenomanus: auſis quique fortibus puer
Probat Toloſas ſe virum:
Fulminaque belli gemina Vindocini: & Avis
Major ſuis Momorantius.
Te denique omnis, jamdiu impatiens moræ,
Lentam Juventus increpat.
Ignoſce mater, excipit Victoria
Rubore ſuffundens genas.
Ex quo, obligata jurejurando fide,
Me Galliæ addixi volens,
Vacare nunquam licuit. Urgetur labor
Labore. Parta prœlio
Vix una palma eſt, protinus feſſa altera
Metenda ſuccreſcit manu.
Succedit Anglo Belga, Germano Allobrox,
Fracto Batavus Cantabro.
Terras per omnes, maria per cuncta, inquies
Fortuna me Regis rapit.
Et quod fateri pudeat, illius gradum
Volando vix fas eſt ſequi.
Æſtate pugnas cæteri exercent duces;
Exarmat invitos hyems.
Noſtro omne tempus prœliis accommodum eſt,
Omne ad triumphos ſufficit.

Quos ne morer, præcurre: Magnique hoſtibus
Jam jam me adeſſe nuntia.
Sic elocuta, fulguris pernicior
Alis, Olympo labitur.
Pavor, & tumultus, & fuga antevolant Deam,
Strageſque caſuſque urbium.
Plauſus ſequuntur, atque pæan, & comas
Revincta lauru Gloria.
Senſit tremendum numen, & ſolo arduas
Ruente turres fulmine,
Nicæa forti ſe Catinato, decus
Oblita priſcum, dedidit.
Senſere Montes: & ſuperbum denique
Summittere edocti caput,
Ingentis accepere victoris jugum.
Dum notus ille fœderum
Fabricator, arma longè, & ultorem minans,
Probri ſui teſtis fugit.

MACLOVIOPOLIS
AB IGNIBUS
ANGLORUM
SINGULARI DEI BENEFICIO
SERVATA.
ODE.

DECEPTA fraus eſt: & ſcelus molimine
Tanto paratum, tam gravi,
Quo plus noceret, conditum ſilentio,
Fruſtratus Hoſtis perdidit.

'Audite Gentes, perfidus Socero Gener
Quas non honeſto fœdere,
Ut ſceptra ſervet rapta, ſociavit ſibi:
Cœlum tuetur Galliam,
Deique causâ bella dum Franci gerunt,
Deus ipſe Francis militat.
Nervinda teſtis, quæque tergemini agminis
Marſalia bibit ſanguinem;
Captâque Batavûm claſſe toto nobilis
Nunc orbe Calpe fabula;
Et addita Roſa Liliis, & Caroli
Arx freta Regis nomine
Nequicquam & armis; Moſaque, Rhenuſque & Niger
Fractis gementes cornibus;
Ipſumque, quâ ſe cumque diffundit, mare
Jam LUDOVICO ſerviens.
Et tu, Patrono clara Maclovio Inſula,
Favoris in nos cœlitum,
Vel ſola, ſpecimen eſſe & exemplum potes
Ævis ſtupendum poſteris.
Quàm pæne medio facta luxiſti æquore
Tua triſte buſtum mœnia!
Cùm capta bello ſpolia, & amiſſas rates
Ulturus Anglus adſtitit,
Fartoſque vivo ſulphure & nitro globos,
Vimque æmulantes fulminum,
Cavo ære jaculans, ignibus cœlum horridis
Implevit & terras metu.
Quanquam furoris hoc leve hoſtilis fuit
Tentamen & præludium,
Conſtructa fabri machina inferni manu,
Latoque Veſuvium alveo,
Ætnamque portans, urbis excidio venit
Tameſis ab ora turbidi.
It dira pelago puppis, impellentibus
Flatu atra Furiis lintea.

Favent tenebræ noctis, & ſilentium,
Soporque vel ſecuritas
Malefida civis, militiſque incuria,
Heu! pace properantis frui
Urgente bello. Jamque portum fluctibus
Moles ſecundis attigit
Tartarea: jam ferale muris applicat
Verſo gubernaclo latus.
Uteroque peſtem conditam, & pejus malum,
Seſe minatur. Nec mora:
Rapto igne nitri ſemina horrendùm tonant:
Piceoque vortex lumine
Horrificat umbras. Ardet æther, æſtuat
Mare, terra mugiens tremit.
Rupta aſſerum compage diſſultat ratis,
Rotatque tabulas & trabes.
Funeſque ponè malus incenſos trahens,
Novus cometes fulgurat.
Ah! fugite, Cives, quà licet: Vos cladium
Fecunda tempeſtas petit.
Erebi miniſtros cerno ſulphureis cados,
Ollaſque ramentis graves
Flammare facibus, inque delubra impiâ
Domoſque moliri manu.
Sed ne metus: defenſor in amicæ Deus
Cuſtodiam urbis excubat,
Ipſumque vertit bonus in auctores dolum
Ejus paratum funeri.
Io triumphe! Liberatori Deo
Servata dicat Civitas.
Matrique dicat, dona votiva offerens,
Io triumphe! Virgini.
Innocua Francis fulmina Anglos opprimunt;
Pœnâ furori debitâ.
Mæſtuſque tantis ductor incaſſùm minas
Emiſſe inanes ſumtibus,

Spoliis

Spoliis relictis fugit, in patriam ferens
Fidem ultionis proximæ.

REGI.

CUNCTA tuis cedunt armis, LODOICE: nec ullum
Deinde locum, quo ſe protegat hoſtis, habet.
Si campo belli tentet diſcrimen aperto;
Illius in ſtragem campus apertus erit.
Innumeris Batavus conſternat navibus æquor,
Adjiciat ſocias Anglia juncta rates:
Submerſas Batavus plorabit & Anglia claſſes,
Téque gemens dominum ſentiet eſſe maris.
Nec mage ſecuros in montibus eſſe licebit,
Sive tuis Wallo, ſive Sabaude tuis.
Hannonios MAGNUS jaculetur fulmine montes,
Vix bene Naſſavius tutus ab igne fugit.
Ultro ipſi proprias * Victoria disjicit arces,
Et nunc capte ſubis, MONSMELIANE, jugum.
Quæ jam ultra miſeris ſpes & fiducia reſtat,
Præſidium tellus ſi negat, unda fugam?
Sed properent veniam, pacémque ab Rege precari:
Sic illum victi vincere quippe ſolent.

* *Nicæa Maſſilienſium victoriæ monumentum.*

NAMURCUM EXPUGNATUM.

ODE.

Sic ſervas populis fidem?
Sic urbem ſociam pollicito diu
    Præſens auxilio levas?
Nec, Guillelme, fugæ dedecus, æmuli
    Nec ſævos Bavari jocos,
Deſertique times funera Belgii?
    Atqui te innumeræ ducem
Circumſtant acies: totaque claſſicis
    Mota Europa tuis venit
Promiſſo obſidium ſolvere prœlio;
    Fruſtra. quando ratum tibi
Damnatam toties defugere aleam.
    Felix conſilii tamen,
His palmam Lodoico eripis artibus;
    Arciſque indomitæ jugo
Contentum eſſe jubes, Caſſelii memor.
    Credent poſtera ſæcula,
Quæ qui facta videt, credere vix poteſt!
    Namurcum, gemini ambitu
Vallatum fluvii, celſaque ſubrigens
    Aſpris mœnia rupibus,
Caſtelloque minax, & duplicis morâ
    Arcis non ſuperabili;
Cui tam multa virûm millia, tot duces
    Certi vincere vel mori,

Stabant præſidio; cui gravis imbribus
Et denſo nigra turbine
Depugnabat hyems, tempore non ſuo;
MAGNI fulmine concidit,
Et fractum domino ſuppoſuit caput.
Tu nunc, oribus & tubis
Centum, hæc per populos Fama renuntia;
Queis ſi non habeant fidem,
Exploraſſe oculis Naſſavium refer.

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO,

PRO RELLIQUIIS S. MAXIMI Martyris conceſſis Sodalitati Convictorum Collegii Ludovici Magni, ſub titulo Virginis ſine labe conceptæ erectæ.

ODE.

QUas, INNOCENTI, gratias referat pares;
Quo noſtra ſeſe pignore
Redimat Juventus, dona cui meritis tua
Æquare laudibus haud licet?
Paterna ſeſe cura in omnes explicans
Summis & imis quod ſuum eſt,
Partitur æquâ lance; vobis debitam
Galli, tiaram Præſules.

At quale Terras gaudium, cæli accolas
Proh quantus invadit ſtupor,
Te dignitatis quando, & immemorem tui,
Pios in uſus Pauperum
Quamcumque largâ contulit Deus manu,
Avita vel quam prædia
Referunt quotannis, erogare pecuniam
Uterque conſpicit polus!
Tam liberalis pignus hoc tantum tuæ
Mirantur omnes dexteræ;
Mirantur, & amant laude certatim ſuâ
Charum parentem dicere.
Et nos ſilere non ſit in tanto pudor
Felicitatis gaudio!
Gaziſque Petri quos beas cœleſtibus,
Non pudeat ingratos mori?
Mariana proles Virgini intactæ arctius
Caſto dicata vinculo,
Oculos reflecte, cerne Martyrum ſacris
Ut è ſepulchris MAXIMUS
Erumpit, ille ſtirpe generoſâ ſatus,
Tibi & coævus MAXIMUS.
Vides ut auro, ſanguinis magis at ſui
Martyr decorus purpurâ,
Candente fertur luce, & aligerûm choros
Permiſtus inter emicat?
Tinctum cruore, ſupplici inſignes notas,
Vibrare pars acinacem,
Pars Innocentis ardet urnâ conditos
Deferre cineres victimæ.
Quis ille porrò cæteris ſupereminet
Spoliis onuſtus aliger?
Quid illa generis ſtemmata inclyti decus,
Imagineſque Principum,
Longoque pictos ordine proavos gerit
Lauro revinctos tempora?

Quem nempe melius æmulere, nobilem,
Florens Juventus, MAXIMUM,
Anniſque mittit ſupparem Deus: ſequi
Tibi ne ſit æqualem pudor.
Vos, ô beata, ferte, ſpirituum agmina,
Heu! ferte præpetes gradum:
Parthenica ſacrum turba depoſitum, ſibi
Quod jure repetit, cedite:
Expectat ardens, geſtit impatiens ſuo
Tandem potiri Numine.
Audior; ad arces, Vaticanâque limina
Referta ſacris oſſibus
Propinquat Arca; luce ſidereâ nitens,
Viridique palma nobilis
Aris verendus ecce MAXIMUS aſſidet,
Tuo, INNOCENTI, munere
Generoſe Martyr, ilicet Penatibus
Accede noſtris; irrita
Heu vota ne ſint; caſta pubis optimæ
Tibi pateſcunt pectora;
Satis eſt morarum. Dum loquor, Tarpeïâ
Redux ab arce MAXIMUS
Jam Gallica tenet regna: prodite ocyus
Læti, Sodales, obviam:
Iſiaca dûmque ſiſtra, juxta dum tubis
Celebrant Triumphum nobilem
Cymbala, tapetis prima tectorum atria.
Viaſque fronde ſternite.
Age, plenâ acerrâ, munus oriundum æthere,
Venerare, Pubes, Martyrem;
Pleniſque Calathis funde ſervati bene
Teſtem pudoris Lilium;
Funde & rubentes inclytæ teſtes roſas
Victoriæque ſymbolum:
Decus Patrono grande debes; maximum
Debes honorem MAXIMO.

Quantum at referre pignus INNOCENTIO,
Amore pro tanto paras?
Tibi, ſanćte Paſtor, vetera non ſi Principum
Potentiorum ſtemmata
Cedat Juventus noſtra; vel quotquot Patrum
Opes nitent palatiis,
Profundat; aut ſi tota ſe voveat tibi,
Grates rependet debitas:
Muneribus illa ſit tuis impar licet,
Obliviosa te tamen
Excidere tacitum mente non ſinet ſuâ;
At te beneficum, te pium,
Amabilemque vocare patrem geſtiet:
Quin & dicata Virgini
Noſtris vigebunt templa quamdiu ædibus,
Supplex ſalute pro tuâ
Preces Tonanti cum Religione offeret:
Vives ſub alto pećtore.

SANCLOVIANI FONTES

AD SERENISSIMUM AURELIÆ DUCEM.

PUDET obligatum ſub Sacramenti fide
Sanclovianis Fontibus
Differre carmen; debito & cultu loci
Fraudare præſides Deos.
Promiſſa tandem ſolvimus. Vanæ hinc procul
Vana Hippocrenes pocula.
Potens fluentis Numen eſt felicibus,
Quo pectus afflatum calet.
PHILIPPE Regum ſanguis, & Regum parens;
Et, quo ſuperbis juſtiùs
Honore, MAGNI frater: ingratus tibi
Hic eſſe non poteſt labor.
Tuos amores canimus. En ſignum dedit
E montis alto vertice,
Udum per auras, a non ſine ingenti ſono,
Naïs maniplum ventilans.
Creviſſe ariſtis ſpiceam nutantibus
Repente meſſem crederes.

a Gerbe au haut de la montagne.

Vicina ſigno *a* Nympha reſpondet pari :
Strepenſque biſſex fiſtulis ,
Per antra paſſim dormientes excitat
Gravi ſorores murmure.
Illæ ire properant nota per divortia
Cryſtallino leves pede.
Simul moleſtis liberas frænis aquas
Per mille ducunt alveos :
Quacumque prono ſe reclinantem jugo
Montem coronant ilices.
Nemus omne rivis manat : & lotum ubere
Frondeſcit imbri pulchriùs.
Mira offeruntur interim ſpectacula ,
Oculoſque hiantes detinent.
Tot in figuras blandus obſequi latex
Verti per artem ſe ſinit !
Hìc lævis & profuſus æquali agmine ,
Stantique ſimilis labitur :
Volucreſque rerum mobili ſpeculo accipit
Redditque formas vitreus.
Tumultuoſo raptus illic vortice ,
Adverſa ſcindit nubila :
Torrentis unde more præcipitis cadens
Se pondere obruit ſuo.
Nunc ſimulat arcus , nunc refert Cydonio
Excuſſa nervo ſpicula.
Abrupta nunc per ſaxa ſpumeus fremit ,
Miſcetque jurgiis minas.
Viden' ut capacis *b* marmore incluſus labri
Æquor imitatur Cyprium :
Stratiſque Venerem ferre gaudet fluctibus
Concha vehentem divite ?
Ad blanda dociles fræna delphines ſalum
Pinnis ſecant pernicibus.

a Gerbe au deſſous de la Baluſtrade.

b Fontaine de Venus.

Tritones hinc & inde tortilibus Deæ
Canunt triumphum buccinis.
Infeſtus illis inſtat, & cæcas Amor
Immittit à tergo faces.
Caſtæ doloſum fugite fontem Naiades:
Heu! flamma ſub lymphis latet.
At unde tonitrûs aëre *a* innubi fragor
Aures repentinus ferit?
Rurſumne Tellus bella Cœlicolis movens
Nova jaculatur fulmina?
An pervicax parat unda diluviem polo,
Et mergere aſtra deſtinat?
Timor omnis abſit. Artis iſte ludus eſt
Laſcivientis innocens,
Certæque, vel jocando, naturam ſuis
Subjicere victam legibus.
Sublimem in auras ſe ſtupet ferri, inſitæ
Gravitatis oblitus liquor:
Tantoque rapitur impete, ut tuentium
Decepta dubitent lumina,
Surſum an deorſum tendat, aut immobilis
Medio quieſcat æthere.
Glacies videri poſſet Edoni aſpero
Durata Boreæ ſpiritu;
Ni ſe imbre tenui proderet, ſole iridem
Qui pictus adverſo refert.
Sed feſſus oculus nec ſequi curſum valet,
Nec ſuſtinere longiùs
Micantis undæ fulgura: aſpectu frui
Jam leniore poſtulat.
Invitat albâ ſylva denſa populo,
Silentii & ſomni *b* domus.
Ubi umbra luci mixta, nec noctem ſinit,
Dicique ſe vetat diem:

a Grand Jet d'eau. *b* Fontaines des petits Boſquets.

Mollique ſemper frigore Canis igneam
Furentis horam temperat.
Lymphæ beato gratiam ſeceſſui
Novumque conciliant decus,
Et quæ ſcatebris obvias fugacibus
Inter jocantur arbores :
Et ſtagna quæ ſubjecta præcipites gravi
Turbare caſu geſtiunt.
Majore ſed opes ambitu oſtentant ſuas,
Jactantiuſque prodigunt,
Si fortè plenum Marliano *a* flumine,
Aut æſtuantium *b* mari
Verſalliarum, Bavara cum Heroide
Philippum adeſſe ſenſerint.
O ! ut laborant in utriuſque pectore
Abolere regales aquas !
Ut leni honorem murmure, & grato ſtudent
Probare fletu gaudia !
Seu quando prima luce venientes procul
Lætis ſalutant motibus :
Seu cùm imbre ſparſo pulverem ambulantibus,
Æſtuſque ſedant fervidos.
Fontes amœni, ſi quid aut vatis preces,
Aut blanda poſſunt carmina,
Placere ſemper, ac novis ſpectaculis
Recreare dominos pergite.
Veſtros honores magna ſic Lutetia,
Et Gallia omnis prædicet.
Sic uſque flores vos coronent, herbidas
Decorante ripas marmore :
Zephyruſque, molles citreis odoribus
Perfuſus alas, mulceat.

a La Riviere de Marly.

b Le Canal & les Eaux de Verſailles.

THEATRUM [a]NAIADUM.

LUDOS PHILIPPO Naiades ſpectaculis
Non ante viſis apparant.
Adeſt vocatus gente cum tota [b] Deûm
Ipſe ex Olympo Jupiter.
Nunc, Muſa, cantûs ſi quis eſt adhuc honos,
Rurſum experiri te decet.
Ut martialem fidibus æquipares tubam,
Majore torrentis tamen
Undæ ſono vincêris: at certamine
Quis vinci in illo non amet?
Qua mons ſupinus molle ſubmittens jugum
Deſcendere in planum incipit;
Amniſque fixo ſuſtinet ripam pede,
Limes vagantis & mora;
Surgit Theatrum, nobilis fabri labor,
Luxu ſuperbum regio:
Ubi ſe viciſſim provocantes æmulis
Natura & Ars conatibus,
Magis placent certando, gloriam & parem
Oculo merentur judice.

a Grande Caſcade.
b Statuës des Dieux qui entourent la Caſcade.

Circum coruſcâ ſylva frondet æſculo,
Scenamque mobilem facit.
Manu magiſtrâ ſectus inſternit ſolum
Cuneoſque diſtinguit lapis.
Frons fulget arcu duplici, picto ferens
Aurata in orbe lilia,
Scutum PHILIPPI : Lemma [a] *terrorem alterum*
Fraterna quem *poſt fulmina*
Intentat hoſti, pace ſi quiſquam audeat
Turbare ruptâ Galliam.
Utrimque conchæ, vaſa, ſculptæ imagines
Longo renident ordine :
Et junctus auro marmoris terſi nitor
Auget laboris gratiam.
Sed dum apparatûs tanta nos miracula
Stupore defixos tenent ;
Tritones [b] ecce belluis natantibus
Vecti ſupervolant ſalum,
Et turbinatis perſtrepentes nuntiant
Solemne ludicrum tubis.
Sonora conchis lympha proſilit, & feros
Recidens jugales verberat.
Illi frementes gutture epotum mare
Patuliſque reddunt naribus.
Scirpo [c] interim virente præcincti comas,
Hinc Sequana atque illinc Liger,
Obnoxii Amnes, ſcrupea in crepidine
Urnis ſedent reclinibus :
Junctiſque amicè fluctibus, ſtudio pari
Domino tributum deferunt.
Quos circum ab antris undique excitæ ſuis
Feſtiva turba Naiades

a La deviſe de S. A. R.
b Les Tritons
c Statuës de Fleuves.

Glomerantur, atque cærulis in veſtibus
Sibi dare ludum geſtiunt,
Pede ſalientes libero. Has molle hydriis
Invergere *a* argentum putes,
Pleniſque baccas fundere è cryſtallinis,
Ditemque gemmis grandinem.
Illæ caducos meſſe rores *b* ſpiceâ
Variiſque mutant floribus:
Tenuique ſimulant texta lino *c* carbaſa,
Mappaſque menſis penſiles.
Sunt quæ *d* lychnuchis uvidas flammâ jubent
Radiare non ſuâ faces.
Sunt quæ ora larvis per jocum tectæ *e* horridis
Terrere gaudent advenas;
Laticeſque, gratâ non ſine protervià,
Spumis remiſtos exſpuunt.
Nec Nympha Fonti quæ beato præſidet
Nullas ibi partes agit.
Effulta ſceptrro dexteram tricuſpide
Aquas morantes increpat,
Urgetque trepidas, quà per abruptos gradus
Via invia in præceps abit,
Et confragoſa ſaxa, ſcabraſque objicit
Pendente clivo pumices.
Ergo pavore turbidæ texunt fugas
Orbeſque varios: ac retro,
Si fas ſit, udum protinus vertant pedem,
Ortus reviſuræ ſuos.
Sed Diva graviter inſtat, & ſuperbiæ
Pœnam rebellis exigens,
Illas ab alto dura præcipitat jugo.
Quo terra ſubter intremit
Concuſſa motu, proximumque aſpergine
Stillat ſuperfuſa nemus.

a Chutes d'eaux de diverſes figures. *b* Gerbes. *c* Nappes. *d* Chandeliers. *e* Maſques.

Ruunt per aſpras interim ſcalas gravi
    Eheu ! rotatæ vortice :
Trahuntque bullis candidum exultantibus
    Obmurmurando tramitem.
Credas coactæ ſidere hiberno nivis,
    Lanæve ſpargi vellera.
Procax cadentes Naiadum ridet chorus :
    Ipſæ improbo offenſæ joco
Gemunt, queruntur, æſtuant, ſpumas agunt
    Sui furoris indices.
Stridore inanes ſibilo jactant minas,
    Vacuumque crebris aëra
Pulſare certant lanceis. Nigras juvat
    Ire prius in voragines,
Penituſque ſub humo conditas mergi ſpecus,
    Quam turpe *a* ludibrium pati ;
Livida veneno belluarum guttura,
    Fauceſque cetorum horridas
Mulcendo lapſu, dandóque impudentibus
    Revomenda ranis pocula.
Adeóne lymphas urit egelidas dolor ?
    Sic ira tranſverſas agit ?
At at, PHILIPPE, quod minantur, quod furunt.
    Verſantque ſe, comœdia eſt.
Fictis tibi placere tormentis ſtudent :
    Ac turbulento fluctuum
Per ſaxa raptu, lumina atque aures tuas
    Amant ferire dulciùs.
Jam leniore cernis agmine ut fluunt :
    Conchas ut inter divites
Laſciviendo ſponte ſibi nectunt moram :
    Condunt ut alternis caput
Lacûs in altum gurgitem, alternis levánt,
    Seſeque cupiunt aſpici.

a Monſtres, & Grenoüilles.

Nec delicati deſinant ludi, ſuum
Ni pondus invitas trahat,
Patriſque glauco Sequanæ infundant ſinu:
Tui unde plenæ nominis,
Sanclovianæ mox renarrabunt Domûs
Miracla viſa Nereo.

MONS LUDOVISIUS.

AD R. P.

FRANCISCUM DE LA CHAIZE

E SOCIETATE JESU

REGI A CONFESSIONIBUS.

ODE.

LINQUE Pindi fabuloſos,
Muſa, fontes: linque ſaltus.
Proque plectro tibiâque,
Buccinâque martiali,
Sume fiſtulam jocoſo
Adſtrepentem cymbalo.
Amœna Ludoviſii
Errare montis per vireta
Libero lubet pede;
Cantantem numeris exlegibus, ac metri teneri
Stricta compede neſciis,
Et locum, & Genium loci.
Felicem Genium! cujus ſe munere tellus
Mirata ſubito eſt in novam formam indui:
Naturâque negatas
Largo fudit opes ſinu.

Vidi ipſe vidi, (nam dederunt omnia
Videre Superi vatibus :)
Cùm tanta meditans Artifex miracula
Formam operum ductu facili, ſpecimenque Miniſtris
Deſignaret Amoribus,
Celantibus ſub ore mortali Deos:
Suumque cuique munus ac partes daret.
Juſſo ſe dociles ſtatim labori
Certante ſtudio applicant.
Hi duram ſubigunt humum,
Et glebas frangunt præacutâ cuſpide inertes.
Illi funibus arcuum ſolutis
Dimetiuntur areas.
Juſtoſque ponunt ambulationibus,
Oculo rubricam dirigente, limites.
Pars grandem pharetris ferunt arenam,
Et ſaxa, Montis excavati
Impletura voragines.
Pars è propinquis collibus
Vivas eliciunt aquas,
Structoque excipiunt lacu.
Unde centum per canales,
Grato non ſine murmure,
Crebris ſaltibus emicant,
Scindentes liquido fulmine nubila.
Aſt alii in terram detractis ſpicula pennis
Ordine deſigunt. riguo quæ nectaris imbri
Lota repente virent, actis (mirabile viſu)
Novæ arbores radicibus,
Umbraſque paſſis efficiunt comis.
In nemus repente natum
Aves undique devolant:
Nidoſque ponunt hoſpitis ſub frondibus,
Mulcentes teneris vocibus æthera.
Hortis explicat interim vocato
Gazas olentes Flora Favonio.

Ambroſiâ madidas qui quaſſans molliter alas,
Terræ ſinus relaxat :
Inque partus viſcera ſolvit.
Creat violas & amarantos ;
Roſas animat & hyacinthos :
Iridi variat ſuos colores,
Afflat gelſimino novos odores,
Lilia, narciſſos, anemonas, ſuſcitat udis
Uxorius ſuſpiriis.
Nec minus Pomona cornu
Sua dona fundit divite :
Julium gaudens Aprili
Fructuoſum florido,
Roſeoque Veri jungere Autumni decus.
Hîc fraga baccis purpurantibus nitent ;
Et quæ pelliciunt odore nares
Nectareo, Idæis pendentia mora rubetis.
Hîc ceraſa veſco turgida rubent ſanguine,
Nata pellere miti
Sitim famemque ſucco.
At pyrus, & ficus, peregrinaque Perſidis arbor,
Necnon Armenio prunus dilecta colono,
Et mali omne genus, per apricos frondea muros
Altè levantes brachia, poſtulant
Micante ſolis penicillo
Fetus inaurari ſuos.
Nec olera deſunt ſobriæ
Amica cœnæ fercula,
Deliciæque parabiles.
Ruris beati quippe Cuſtos providus
Ubique dulci miſcuit utile :
Non paſſus umbris otioſam,
Vaniſque terram fulgere honoribus.
Sed ſiſte greſſus, Muſa, nunc tandem vagos,
Mecumque potius, Montis è faſtigio,
Libero frui æthere,

Lutetiæque, principis urbium,
Pulcro velis ſpectaculo.
Hanc, quanta quanta eſt, inde metiri licet
Oculis ſtupore hiantibus,
Aliâque paſci neſciis imagine.
Quamquam turrigeræ poterant traxiſſe Vicennæ,
Maurique ſacratum nemus;
Et Confluentes Præſulis inclyti
Amor & voluptas innocens;
Et aureis Verſalliis
Nitore paulùm diffidens
Magni villa Philippi:
Quodque jugo ex alto ſubjectis imperat agris,
Domino ſuperbum regio, Meudonium:
Quæque tuas longè prætexunt, Sequana, ripas,
Domus palatiis pares.
Sed urbe in unâ clauſus orbis cernere
Cætera locorum non ſinit miracula.

REGI,

PRO RECUPERATA VALETUDINE.

ODE.

DIFFUGERE metus procul,
Lætare incolumi, GALLIA, Principe;
Et jactantiùs aureis
Frontem laurigeram cingere liliis
Ne differ. nimis ah! nimis
Forti quamquam animo diſſimulans tulit,
Sævus torſit eum dolor:
Dum ferrum medici parcere neſcium,
Crudeléſque piè manus
Fallacis latebras excuterent mali.
Quo nos vulnere ſaucii,
Ut cœlum ambiimus ſollicitâ prece!
Ut pro Rege vicarium
Mortis quiſque furori obtulimus caput!
Sic, quum lumine languido
Paſſus deliquium ſol, media die
Noctem turbidus objicit
Improviſam oculis; omnia lugubri
Stant obducta ſitu: feræ

AU ROY,

SUR LE RECOUVREMENT DE SA SANTE'.

LA crainte & les ſoucis loin de nous ſe retirent;
Que de nôtre bonheur nos Ennemis ſoûpirent:
FRANCE, porte à leurs yeux avec plus de fierté
Les Lis & les Lauriers, dont tu te ceins la teſte:
Tu vois de ton HEROS les jours en ſeureté;
Triomphe, ta plus belle & plus noble conqueſte
Ne l'a jamais tant merité.

Qu'il ſouffrit de vives atteintes,
Lorſque d'officieuſes mains
Luy prêtoient à regret des ſecours inhumains!
Il tenoit ſes douleurs captives & contraintes,
Il leur refuſoit fierement
D'un ſoûpir ou d'un cri le vain ſoulagement;
On n'a connu ſes maux que par nos plaintes.

L'Art, qui par d'utiles rigueurs
Répare & ſoûtient la nature,
Ne luy faiſoit point de bleſſure
Qui ne ſe fiſt ſentir juſqu'au fond de nos cœurs.
Que les menaces paſſageres
Qui parurent alors du celeſte couroux,

Lamentantur; aves flebiliter gemunt,
Flores vita etiam fugit,
Extincto ſupereſſe indociles patri.
At curæ ite graves: viget,
Et luci LODOIX reſtituit ſuos.
Hinc grates agimus rei
Votorum meritas, non ſine lacrymis
Quas amor male continet,
Haud tantæ capiens lætitiæ modum.
Illo ſoſpite quid Deus
Majus Francigenis aut melius daret?
Non ſi lapſus ab æthere
Victrices Aquilas Fœdifrago Inſubri
Rursùm Carolus inferat,
Ereptaque Arabi Cantabria, jugo
Infrænes premat hungaros;
Ac Cimbrum Ligeri ſubjiciat mare:
Penſet BORBONIDEN ſatis,
Nec virtute nepotem æquet Avus pari.
Ejus prælia poſteris
Quum faſti memores, famaque divident,
Qua tandem poterunt fide
Vatum ſe levibus demere fabulis?
Seu narrabitur ungulâ
Sulcatus Vahalis quadrupedum, & lacus
Audax per tumidos eques
Intrare armiferæ caſtra Bataviæ;
Seu dicetur ut inſolens
Olim fræna pati, denique paruit
Fractis Flandria viribus:
Ut devicta iterum non violabili
Se Burgundia Galliæ
Junxit fœdere. Quis finibus additum
Noſtri non ſtupet Imperî
Abruptis Luceburgum è ſcopulis minax?
Uno quiſve duas die

Attirerent de vœux empreſſez & ſinceres!
En offrir pour LOUIS, *c'eſt en offrir pour nous.*

Telle eſt à nos regards l'horreur qui ſe preſente,
Telle eſt la ſubite épouvente
Qui ſaiſit l'Univers ſurpris, inquiété,
Quand le Soleil dans ſa courſe éclatante
Perd, ou ſemble du moins perdre cette clarté,
Par qui la nature eſt vivante,
Et qui ſeule en fait la beauté.

Si prodiguant ſa vie on en ſauvoit une autre,
Nous n'euſſions pas craint pour la vôtre,
GRAND ROY, *nous étions preſts de renoncer au jour;*
Mais Dieu vous rend à nous, content de reconnoiſtre
Que par l'excés de nôtre amour
Nous ſommes dignes d'un tel Maître.

Que nos cœurs ſont reconnoiſſans!
Quelle vive allegreſſe en tous lieux ſe déploie!
De là partent tous ces Encens
Que d'ici vers le Ciel un peuple heureux envoie,
Et ces Concerts ſacrez tous les jours renaiſſans,
Et ces larmes, de nôtre joie
Témoins encore plus puiſſans.

Que LOUIS *vive, il n'eſt aucune grace*
Dont nous devions importuner les CIEUX;
Quand le plus grand des Heros de ſa race,
CHARLES * *abandonnant le ſejour glorieux,*
Où prés du Trône ſaint il occupe une place,
Reviendroit regner en ces lieux;

Quand recommençant même une courſe nouvelle,

* Charlemagne.

Arces non refugit credere deditas;
    Alpini hanc Dominam Padi
Illam, Rhene, tui gurgitis arbitram?
    Prædo luget adhuc Nomas
Exuſtum pluviis Algerium ignibus.
    Nec Syrtis Tripolim ſua
Francis fulminibus præſtitit inviam.
    Currunt divitis Indiæ
Pinus merce graves, per freta barbaris
    Circumſeſſa triremibus
Securæ. Neque jam Maſſiliotico
    Deprehenſus pelago inſtitor
Pejus naufragio ſervitium timet.
    Lauris ſed magis omnibus
Claret pacis opus, Maxime Rex, tuæ:
    Quà Divis Hydra centiceps
Deteſtata jacet. Cœperat huic tamen
    Membris ire novus calor,
Paulatímque ſolo ſe reparabilis
    Tollebat capitum ſeges,
Jactans horrifero gutture ſibila.
    Spem nunc abjicit improbam,
Te damnata ſupremùm incolumi mori.

Et

Il ſoûmettroit aux Francs pour la ſeconde fois
Et le Lombard perfide, & le Saxon rebelle;
Qu'il apprendroit aux Huns à vivre ſous des loix,
Ebranleroit l'Empire ennemi de la Croix
Qu'au milieu de l'Eſpagne avoit fondé le More:
Ah! nous regretterions encore
Et LOUIS, *& ſes grands exploits.*

Quel autre ſur le Rhin ſe fraïant un paſſage,
Eût fait fendre cette Onde aux pieds de ſes chevaux;
Et par ce grand peril eût ſur l'autre rivage
Cherché d'autres perils & de plus grands travaux?
On voit avec terreur la Flandre belliqueuſe
Baiſſant ſous nôtre joug une teſte orgueilleuſe,
Qui n'a plié que ſous mille hauts faits;
Et la Bourgogne aux Lis autrefois arrachée,
A ces mêmes Lis attachée
Par un bras qui répond qu'elle l'eſt pour jamais.

Ces ſuperbes Rochers, d'où Luxembourg tranquille
Bravoit des Aſſiégeans la valeur inutile,
De nos efforts ſe ſont-ils garantis?
Des deſſeins que jamais on n'auroit preſſentis,
Ont fait naiſtre en un jour deux conqueſtes nouvelles
Sous qui le Pô, le Rhin, juſqu'au ſein de Thetis,
Tremblans & deſormais fidelles,
Roulent leurs flots aſſujettis.

Sur les ſables brûlans de l'Afrique allarmée,
Des brigands redoutez par des crimes heureux,
De nos foudres encor reſpirent la fumée,
Ils fremiſſent encor des ravâges affreux
Qui reſtent dans leurs murs de la pluie enflammée;
Qu'un ordre de LOUIS *fit deſcendre ſur eux.*
L'infame ſoif de l'or qu'ils ne peuvent éteindre,

Déſormais cependant reſpecte nos Vaiſſeaux,
De leurs avides mains l'ardeur ſçait ſe contraindre;
Nos treſors à leurs yeux ſont portez ſur les eaux,
On n'a plus ſur la mer, que la mer ſeule à craindre.

Mais de tous ces exploits & l'éclat & le fruit,
Et tout ce que LOUIS *a fait par ſon Tonnerre,*
Cede à l'ouvrage ſaint que la paix a produit;
Cette Hydre qui ſortant de l'éternelle nuit,
Declaroit au Ciel même une inſolente guerre,
Tombe ſous le Heros dont le bras la pourſuit,
Et ces cent teſtes ſont par terre.

Elles ſembloient pourtant devoir ſe relever,
Dans peu leurs ſiflemens pouvoient ſe faire entendre,
La nouvelle fureur qu'elles alloient reprendre,
Plus que jamais euſt oſé nous braver:
Mais libre du peril que craignoit vôtre Empire,
Vous vivez, GRAND MONARQUE, *& ſans que vôtre bras*
S'attache contre l'Hydre à de nouveaux combats,
Elle vous voit, & pour jamais expire.

FONTENELLE.

AUTRE TRADUCTION
DES VERS LATINS DU P. C.
SUR LE RE'TABLISSEMENT
DE LA SANTE'
DU ROY.

ENſin le Ciel a vû nos larmes;
Il a pris ſoin de les ſécher,
A nos ſoûpirs il s'eſt laiſſé toucher,
FRANCE, *diſſipe tes allarmes.*

Les beaux jours de LOUIS *ont eſté menacez,*
On a tout craint pour lui, pouvoit-on craindre aſſez?
Sans l'heureuſe Santé que le Ciel lui renvoye,
Quel eût été nôtre malheur!
Mais FRANCE, *il eſt gueri, ne contrains point ta joye,*
Elle doit éclater comme a fait ta douleur.

Ne ſongeons aux mortelles craintes
Dont nôtre cœur ſe ſentoit abbatu,
Que pour mieux admirer LOUIS, *dont la vertu*
Bravoit d'un mal cuiſant, les plus vives atteintes.
Il cherchoit à nous raſſurer,
Et pour nous les faire ignorer
Il ſouffroit ſes douleurs avec tant de courage,
Qu'on eût dit que le fer, dont le ſecours cruel

Pour le rendre à nos Vœux étoit mis en uſage,
N'agiſſoit pas ſur un Mortel.

Mais en vain ſa Conſtance étoit ingenieuſe,
Nôtre Amour ne l'étoit pas moins,
Nos Cœurs de ſes perils virent l'image affreuſe,
Sans que nos yeux en fuſſent les témoins.

Qu'on vit alors la FRANCE *en un état funeſte;*
Et pour fléchir ſur nous la colere Celeſte,
Quels Vœux par tout ne fit-on pas?
Que de Larmes furent verſées,
Que de Prieres empreſſées!
Chacun ſembloit ſubir, ou craindre le trépas.

Ainſi quand le Flambeau du Monde
Nous dérobe en plein jour ſa lumiere feconde,
Les Oiſeaux vont gemir triſtement dans les Bois,
Les Fleurs & leur émail, les Prez & leur verdure;
Tout diſparoît, tout languit, la Nature
Semble être reduite aux abois.

Telle alors fut la FRANCE *entiere.*
Mais perdons pour jamais ce triſte ſouvenir,
Nôtre proſperité qui ne peut plus finir,
De tous nos chants doit être la matiere,
Nous n'avons plus que le Ciel à benir.

Il nous donna LOUIS, *il vient de nous le rendre,*
Quel plus digne preſent pouvions-nous en attendre?
Et quand CHARLES *le* GRAND *à la terre rendu,*
Reviendroit ici bas ſignaler ſa vaillance,
Pourroit-il conſoler la FRANCE,
De tout ce qu'en LOUIS *la* FRANCE *auroit perdu?*
Non, l'Arabe chaſſé des bornes de l'Empire,
Le Hun, & le Lombard aſſervis à ſes Loix,

Furent jadis de grands Exploits ;
J'en conviens, & je les admire.

Mais Luxembourg à ſe rendre forcé,
La Flandre en peu de mois Conquiſe ;
L'orgueil du Batave abaiſſé,
Sur ſes Uſurpateurs la Bourgogne repriſe,
Le Rhin par nôtre Armée à la nâge paſſé,
Alger puni, Genes ſoumiſe,
L'Aigle abbatu, le Lion terraſſé,
Doivent cauſer encor cent fois plus de ſurpriſe.

Ce ſont-là tes Travaux heureux.
Ils ſeront peut-être incroyables,
Et je crains bien, GRAND ROY, *qu'un jour chez nos Neveux*
De telles Veritez ne paſſent pour des Fables.

Mais ſi de tes faits inoüis
Leur Ame pleinement n'eſt pas perſuadée,
Ils s'en feront du moins une ſi belle idée,
Qu'ils ne concevront rien de ſi grand que LOUIS.

Que dis-je ? Ils croiront tout, & prendront tes Conquêtes
Pour le prix de ta Pieté,
Quand ils ſçauront que ton Bras a domté
Cette Hydre, ce monſtre à cent têtes,
Ennemi de l'Egliſe, & de la Verité.

Il reprit cependant une force nouvelle,
Au ſeul bruit du danger où tu fus expoſé,
Il crut voir avec toy, mourir bien-tôt ton Zele.
Mais te voyant revivre, il n'a plus rien oſé ;
C'en eſt fait, il ſuccombe, & ta Santé parfaite
Qui remplit nos deſirs, acheve ſa défaite.

Mr. DE THIBOUVILLE DE LA LORIE.

IMAGO
CHRISTIANI PRÆSULIS.
AD ILLUSTRISSIMUM
ECCLESIÆ PRINCIPEM
LUDOVICUM ANTONIUM
DE NOAILLES
ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM,
DUCEM AC PAREM FRANCIÆ.

ODE.

NOn mitra, Ludovice, gemmis aſpera,
Adamaſve digito fulgurans,
Aut ſolidus auro baculus, auguſtum facit
Populo & verendum Præſulem.
Regale tollens ſe ſuper faſtigium,
Deóque propior dignitas,
Virtute ni ſubnixa divinâ ſtetit,
Onus eſt habenti non honor.
Felix, regendo quem parem expertus gregi
Rex ipſe Paſtorum approbat!
Fortuna non hunc cæca, non aulæ favor
Turpi paratus ambitu;

Sed ratio votis obſecundans publicis,
Et nota merita provehunt.
Quamquam reſiſtat, & ſuum ut locum occupet
Cogenda ſit modeſtia.
Longe illi aviti ſtemmatis ſuperbiâ
Elatus animus, & ſibi
Aliena temere decora laudeſque arrogans,
Quicumque prognatum Deo
Se patre meminit, & refert cœlo genus,
Humana temnit celſior:
Eoſque demum cenſet eſſe nobiles,
Relligio quos claraverit.
Minus nec odit ſplendidæ pompam domûs,
Menſæque luxum prodigæ.
Chriſtíne membris erogandas myſticis
Opes abuſu perdere
Amet profano, pauperumque ſanguine
Equos ſaginare & canes?
Jam quanta pietas ore flammato micat!
Seu quando permiſtus choro
Laudes Tonantis voce numeroſâ canit;
Davidicæ concors lyræ:
Seu quando ad aras filium æterno immolat
Vivam parenti victimam.
Sacer horror animos intuentum corripit:
Præſenſque taciti ſentiunt
Aſtare numen, ac profuſis ſupplices
Litant viciſſim lacrymis.
Privata ſed quid memoro? Res eſt publica;
Et nata terrarum in bonum
Commune, præſul. Ergo commiſſo pares
Oneri lacertos exerens,
Pernox laborem perdiuſque ſuſtinet,
Somni, quietis immemor.
Et nunc paterno more blandus eloqui,
Factiſque ſuadere efficax,

Mollem facit virtutum inexpertis viam :
Pollente nunc indebitum
Vitiis honorem detrahit facundiâ ,
Crimenque perſonâ exuit.
Male Hæreſis , ferale ſi qua Tartaro
Prorupta monſtravit caput.
Pietatis aut ſub nomine impietas latens
Plebem fefellit credulam.
Mora nulla , quin mucrone cœleſti anguibus
Virus reciſis exſpuant.
At vos egentum languidi , afflicti greges ,
Et vos tenebris carcerum
Damnata turba : pœna ſeu tenet reos ,
Sive innocentes creditor
Avarus : anne amoris exortes ſui
Curæque Paſtor optimus
Patiatur ? Ibit ſub caſas , ſub putribus
Male tecta paleis culmina ,
Levare miſeros , dupliciqúe munere
Fugare morbos & famem.
Non pædor illi teter , inſuetis gravem
Mephitim inhalans naribus ,
Non ipſa facies peſtis , aut præſens moram
Injecerit periculum.
Prodigere quippe ſe gregi , & Chriſto juvet
Moriendo dignum fingere.

Imago picta eſt , quamlibet rudi manu ,
Non fabuloſi Præſulis.
Quem referat illa taceo : ſed queis notus es
Te , LUDOVICE , nominant.

VOTUM.

Pro felici Regiæ Claſſis expeditione.

I Felix, Euriſque faventibus utere Claſſis;
Publica neu lentâ protrahe fata morâ;
A te, depulſo, Regem Anglia læta, Tyranno,
Relligio priſcum ſperat habere decus.
Arma quidem intentas & formidabile bellum,
Europæ ſed pax inde ſalúſque venit.
Dii faciant palmam Lodoico oleàmque reportes
Prædóque Regnorum, ſit tua præda, trium.

LUDOVICUS MAGNUS
IN QUÆRENDA GLORIA
ALEXANDRO MAGNO
FELICIOR.

CRESCAT alienis artibus, qui propriis
Sperare famæ non poteſt ſuffragium.

Doctus metallo fuſili vitam dare,
Sculptoque vocem marmori Steſicrates *,
Natum Philippo ſic adortus dicitur.
Cur victor Aſiæ, totque regnorum arbiter,
Cares trophæo grandibus geſtis pari?
Poteſt viro columna ſcilicet brevis
Sufficere, cui non unus orbis ſufficit!
Quod ergo nullus ære Lyſippi labor,
Nullis Apelles audeat coloribus,
Inſigne meditor ſtruere monumentum tibi.
Scis quantus alto ceteros montes ſuper
Athos feratur vertice, ac ponto imperet:
Tuam is magiſtra verſus in faciem manu
Novum exhibebit Græciæ miraculum,
Æterna imago, digna te. Nam montium
Quis rege potius Magnum Alexandrum exprimat?
Sic elocutus operis in picta obtulit
Specimen tabella. Stabat herculeo habitu
Coloſſus ingens, populo evinctus comam,

* Hoc Dinocrati tribuit Vitruvius.

TRADUCTION.

UN celebre Sculpteur rival de Promethée
Qui d'une habile main, par l'hõneur excitée;
Fit au marbre docile à ſes inventions
Prendre ſous le ciſeau toutes les paſſions,
Fit couler dans le bronze & l'eſprit & la vie,
Tint jadis ce propos au Vainqueur de l'Aſie.
Prince, que te ſert-il pour fruit de mille exploits
De pouvoir à ton Char enchaîner tant de Rois?
Un jour de ce grand Nom perira la memoire,
Si quelque monument égal à tant de gloire,
Digne enfin d'Alexandre & de tout l'avenir
N'en conſacre à jamais l'éternel ſouvenir.
Le marbre pourra-t-il dans ſa foible Sculpture
Du plus grand des Mortels conſerver la peinture?
Un Prince, à qui le monde eſt un champ trop étroit,
Doit-il être borné dans le tour d'un portrait?
Non, c'eſt peu pour des faits d'une gloire immortelle
Du ciſeau de Lyſippe ou du pinceau d'Appelle.
Le Cul de tes vertus nous offrant le tableau
M'inſpire en ta faveur un Monument plus beau.
Je veux qu'à tous les temps il ſerve de ſpectacle;
Que la Grece attentive admire ce miracle;
Je veux qu'Athos, ce mont qui caché dans les Cieux
Leve au deſſus des vents ſon front audacieux
Imitant par mon Art les traits de ton viſage,
D'un Heros immortel ſoit l'immortelle image.
Le monde te la doit; il dit, & de ſa main
Sur la toile auſſi-tôt il trace ſon deſſein.
D'abord aux yeux ſurpris s'offre un Coloſſe énorme,
D'Alcide en ſon repos il a l'air & la forme,

Tectuſque vaſti tergore leonis latus.
Urbem ſuperbo mœnium tutam ambitu
Læva ferebat: aſt capacem dextera
Urnam reclinans, ſpumeum jugi agmine
Fundebat amnem; ſaxa qui per aſpera,
Scabraſque rupes cum gravi raptus ſono,
Valles ſcatebris irrigabat ſubditas.
Caput ipſe circum ſparſa ridens fulgura
Unoque terras, altero fluctus pede
Calcans, probabat eſſe ſe Jovis genus.
Herois animos in fabro miratus eſt,
Ac pœnè Rex invidit. Et te gloria
Steſicrate, inquit, nobilis cœpti manet;
Nec grande deerit præmium: ſed Atho ſuam
Relinque formam. Barbari * ludibrium
Ducis æmulari monte violato eſt nefas.
Neque molę magnus dici Alexander velim,
Sed bellicæ artis gloria, & Victoriis;
Quas Caucaſi arces, & minax Tauri jugum,
Captuſque Tanais, atque Caſpium mare
Nunquam tacebunt. Hæc triumphalis mihi
Monumenta virtus poſuit, has imagines.

Sed iſta, Macedo, quæ ſuperbè venditas,
Quot heu! trophæa ſtant ruinis urbium,
Quotve populorum tincta ſunt cruoribus.
Captivus Oriens clade, ſub Bacchi æmulo,
Graviore preſſus gemuit. Aſſyrio horruit
Rubere Tigris ſanguine. Ægypti mala
Spectare fugiens Nilus occuluit caput.
Dedit ſepulcrum civibus Babylon ſuis:
Et inter undas flamma conſumſit Tyrium.
Ergone nomen his Alexandro placet
Ornare titulis? Orbis exſcidio juvat

§ Xerxes Athon perfodit.

Rien de mortel, ſon corps s'étend large & nerveux,
Un peuplier vainqueur embraſſe ſes cheveux
D'une main qui leur ouvre une aſſiete tranquille
Il ſoûtient les remparts d'une ſuperbe Ville;
L'autre épanche d'une urne à flots précipités
D'un grand fleuve naiſſant les torrens indomptés;
Sur les rochers voiſins les ondes menaçantes
Se briſent de courroux & d'écumes bruyantes,
Et s'ouvrent dans les champs un cours tumultueux.
Le Coloſſe d'un œil calme & majeſtueux
D'un pied foulant la Mer & de l'autre la Terre
Voit autour de ſon front ſe former le tonnerre,
Et paroît annoncer aux peuples incertains
C'eſt le Maître ou le Fils du Maître des humains.
Dans un ſimple artiſan un ſi vaſte genie
Aux yeux du jeune Roy parut digne d'envie.
C'eſt aſſez du deſſein pour ma gloire entrepris,
Dit-il, & de vos ſoins je reconnois le prix.
Laiſſez au mont Athos ſa premiere figure,
Irois-je aprés Xerxés gourmander la Nature,
Et follement jaloux d'un effort inſenſé
Croire à ce vain projet mon Nom intereſſé?
Non, par d'autres endroits on connoît Alexandre.
Cent peuples aſſervis, cent murs reduits en cendre,
L'Olimpe, le Taurus traverſez tant de fois,
Le Tanays forcé de couler ſous mes Lois,
La Terre à mon aſpect contrainte de ſe taire.
Ces faits ſans m'éblouïr d'un eſpoir temeraire
Epargnant à mon Nom l'inimitié des ans
Seront de ma valeur les plus ſurs Monumens.
Mais Prince, ces lauriers dont tu vantes les charmes
Combien à l'Univers ont-ils coûté de larmes?
Ils ſont trempez des pleurs & du ſang des vaincus,
On t'a vû ſucceſſeur & rival de Bacchus
Renouvellant dans l'Inde une fureur divine
Lui faire regretter ſa premiere ruine.

Magnum vocari? Vana te ſpes decipit
Veſane juvenis. Cum tuis victoriis
Et fama vi jus omne violatum canet,
Fidéque mundo pulſa adoratum ſcelus,
Raptoſque templis, & datos prædæ Deos;
Te poſtera ætas noxiæ peraget reum
Felicitatis, debitam & pœnam exiget.
Nitatur Heros gloriæ ad faſtigium,
Sed innocentis & ſalubris publico,
Gratæ vel hoſti. Sic nova ſupra æmulos
Seſe arte Reges LUDOVICUS extulit;
Ubique victor orbe toto lilia
Florere palmis mixta cernebat ſuis.
Non Teutoni Anglus, non Batavus Pannoni,
Non Celtibero fœderatus Allobrox
Pares fuere. Quot iniit certamina
Totidem triumphos retulit, Europam jugo
Subjicere viſus poſſe; ni cupidinem
Vincendi amore pacis ipſe vinceret.
Æternitatis digna faſtis inſeri
Ambitio! olivæ poſthabere lauream,
Honoris avidos temperare ſpiritus,
Hoſtes levare cladis acceptæ probro,
Quæſita bello ſponte victis reddere.
Non ſi columnis celſa Pyrenes juga,
Alpeſve mutet ſculptor audax arcubus,
Monumenta tantæ paria virtuti ſtruat.
Sed LUDOVICUS nil ope externa indigens,
Sibi trophæum majus ac perennius
Pacando terras quam domando condidit.

Le Nil s'enfla du ſang d'un peuple à qui ſon cours
D'une onde liberale accordoit le ſecours,
Et le Tigre effrayé de la Perſe détruite
Vers la Mer à grands pas précipita ſa fuite.
On a vû Babylone aprés un ſort ſi beau
De tous ſes habitans devenir le Tombeau:
Le Tyrien preſſé de ta jalouſe rage
Pour échapper au feu perir par le naufrage.
De quelle gloire helas! ton cœur eſt amoureux?
C'eſt de pouvoir par tout faire des malheureux,
Et pour digne loyer d'une funeſte guerre
Traîner aprés ton Char les malheurs de la Terre.
Quoy ne devient-on grand qu'au prix de tant de maux?
Et ſans être cruel n'eſt-on plus un Heros?
Crains que de l'avenir les Arreſts équitables
N'accuſent de fureur tes triomphes coupables,
Ne nomment crime un crime, orgueil une vertu,
Qui s'enfle du debris d'un Royaume abbatu,
Et d'un rang uſurpé dégradant ta memoire.
Ne traittent de forfait une injuſte victoire?
Oüy du malheur public s'en prenant à ton Nom,
Le ſevere avenir demandera raiſon,
Et joindra pour tromper ton orgueilleuſe envie
Aux faſtes des Tyrans l'hiſtoire de ta vie;
Fleaux dont icy bas le cours pernicieux
Pourſuit ſur les humains la vengeance des Cieux.
Ah! l'on peut ſans ſemer le meurtre & l'épouvante
Se tracer à la gloire une route innocente,
Faire à ſes ennemis bénir leurs propres fers,
Et par ſes ſeuls bienfaits conquerir l'Univers.
C'eſt ainſi que LOUIS *par ſa grandeur ſuprême*
A vaincu ſes rivaux & s'eſt vaincu luy-même;
Mille fois abbatus, percez de mille traits,
Il ſçait les vaincre encore en leur donnant la Paix.
En vain par des ſermens leur haine éterniſée
Se faiſoit de la France une conqueſte aiſée

Et déja de l'eſpoir devoroit nos threſors,
LOUIS *les prévenant trompe tous leurs efforts ;*
Et leur marquant du doigt une étroite barriere,
Du ſein de leurs Etats leur fait une frontiere.
En vain de tant de Chefs l'impuiſſante douleur
Attend qu'au moins le temps ſupplée à leur valeur.
On diroit que le Ciel fixant la deſtinée
Ramene ſur ſes pas toûjours la même année.
Chaque hyver, chaque eſté, voit fuir leurs eſcadrons ;
Chaque jour eſt pour eux marqué par des affronts.
On les voit reparant les ruines ſouffertes
Nouvel hydre, renaître à de nouvelles pertes :
Contre eux-mêmes leurs murs ſont par tous nos remparts ;
Le demon du malheur les ſuit de toutes parts ;
Mais loin qu'à la Victoire ils viennent rendre hommage
La honte dans leur cœur a l'effet du courage ;
Promts à chercher la paix, s'ils pouvoient nous dompter ;
Leur foibleſſe en ſecret ſert à les irriter.
Vains & jaloux efforts ! LOUIS, *que rien n'arreſte*
Court d'exploits en exploits, de Conqueſte en Conqueſte ;
Ah ! quand de ſes rivaux le complot inhumain
Met par force au Vainqueur les armes à la main,
Que le Ciel avec luy paroît d'intelligence,
Qu'il eſt doux de pourſuivre une heureuſe vengeance ?
Quel charme plus puiſſant pourra le deſarmer
De la foudre à ſon choix prête à tout conſumer :
Mais helas ! tout l'honneur qu'un Heros peut prétendre,
Vaut-il les pleurs, vaut-il le ſang qu'il fait répandre ?
Quels maux ſuivent la guerre en foule conjurés ?
La famine au corps ſec, aux pas mal aſſurés,
Va ſouflant du trépas l'haleine peſtilente ;
La mort vole en tous lieux ou trop promte ou trop lente.
L'on tourne en fers ſanglants la faux du moiſſonneur,
Et les champs délaiſſés languiſſent ſans honneur.
La crainte, les ſoucis, paliſſante cohorte,
Aſſiegeant le bourgeois ſont aſſis à ſa porte,

Chaque famille en deüil, & qui dans tous les coups
Croit voir la mort d'un fils, d'un pere ou d'un époux,
Mille jeunes guerriers victimes de la gloire
Et le vainqueur forcé de pleurer ſa victoire.
Qu'un cœur à cet aſpect ſent de rudes combats
Pouvoir finir ces maux, & ne les finir pas !
Qu'importe qu'à ſa perte un ennemi s'obſtine,
Qu'il ait juſtifié luy-même ſa ruine,
Qu'à la clemence encore il ſoit preſt d'inſulter,
Que du ſuccés peut être il oſe ſe flater.
Il eſt beau du public conſolant la miſere
De luy ſacrifier une gloire ſi chere,
De pouvoir en voyant fleurir par tout la paix
Dire, Tous ces heureux, c'eſt moy qui les ay faits.
Aux vulgaires Heros appartient la vengeance
Mais lorſqu'on peut punir, ſauver qui nous offence,
Retenir par pitié même un juſte courroux,
Voilà de quels exploits les Dieux ſeroient jaloux,
Oui, GRAND ROY, *qu'il eſt beau dans une paix profonde*
De te voir & l'amour & l'exemple du monde !
Au bien de tes ſujets veiller encor plus qu'eux,
Et preſque malgré nous nous avoir fait heureux.
O ! que j'aime à te voir loin d'un orgueil funeſte
Rendre au fort du ſuccés la victoire modeſte,
Suivre contre tes droits le party de ton cœur
Et les pleurs des vaincus triompher du Vainqueur.
Ah ! ſans aller pour toy forçant les deſtinées
En arcs audacieux voûter les Pyrenées ;
Tout l'avenir dira regrettant le repos
Que viendra luy ravir la fureur des Heros,
LOUIS *toûjours vainqueur pendant dix ans de guerre*
Fit plus en deſarmant qu'en ſoûmettant la terre.

A. CHOMEL S. J.

REGI

VICTORI PACIFICO.

Victor ubique hoſtes armis, Lodoice, premebas;
Nec ſe Europa tibi ſenſerat eſſe parem.
Vincendi quid non potuit ſuadere voluptas,
Et regni extenſis finibus auctus honor?
Ambitio hæc tangat regnantum ignobile vulgus.
Te meliore decet tendere ad aſtra via.
Vendere quam caro ſtevit, centum urbibus emtam
Sponte datis, pacem muneris inſtar habes.
Tantus amor gentes vel ſic feciſſe beatas!
Pax haud unquam aliàs tam pretioſa fuit.

PHILIPPO V.

REGI CATHOLICO

IN HISPANIAM ABEUNTI,

ODE.

PHILIPPE regnas Quod decus celſa indoles,
Et digna facies imperî,
Avuſque LODOIX, atque Delphinus pater,
Olim tibi ſpoponderant:
Id ſanguinis nunc jure delatum obtines,
Heres ſupremis CAROLI
Scriptus tabellis: orbe non uno datum
Sibi gratulante Principem.
Per fas nefaſque ferre dominandi impotens
Cupido mortales ſolet.
Te regna prenſant; & novo genere ambitûs,
Non niſi petitus imperas.
Parere malles, vota ſi modeſtiam
Non temperarent publica.
Conſcende ſolium, quo tot & belli artibus,
Paciſque ſtudiis inclyti
Sedere Reges: FERDINANDUS barbaro
Exuere Granatam jugo
Ultrice dextera natus: & conjux viro
Suppar virili pectore
ISABELLA: quique fabuloſas Herculis
Ultra ire metas geſtiens,*

* Carolus V.

Signis volucres junxit Auſonias ſuis,
Nulli ſecundus Cæſarum:
Calamoque mundum qui movere noverat
Sedens & immotus domi *,
Sagacitate mentis & vi conſilî
Formidoloſior Patre.
Hunc auſpicato quem refers prænomine,
Etiam referre moribus
Memento. Tanti & dignus herois nepos
Aſſueſce fortunæ nihil
Debere; caſus regere; conſtanter pati,
Vitare quicquid eſt nefas.
Sed plura cur exempla nequicquam ſequi
Exhortor? unum ſufficit.
Licet PHILIPPOS, FERDINANDOS, CAROLOS;
Et majus aliquid cernere
Avum intuendo. Solus hic eſto labor,
Vitæ illius miracula
Meditando penitus pectori defigere.
Compendio totam imperî
Perdiſcere artem ſic potes. Felix erit
Heſperia te MAGNI æmulo.
Nec invidebit Gallia heroum ferax,
Quos ſceptra geſturos ſua
Sibi reſervat: quoſve nutrit exteris
Legem daturos gentibus.

* Philippus II.

EIDEM REGI
VATICINIUM.

UT tetigi, ut blandæ venerans fixi oſcula dextræ,
Sic cecini plenus corda, PHILIPPE, Deo.
Hæc illa eſt populos moderari, æquaſque, per orbem
Non unum, leges ſcribere, nata manus.
Quæ tot ſceptra feret, nequaquam onerabitur illis,
Pluraque non fuerit ſuſtinuiſſe labor.
Dulce ac molle jugum vobis imponet, Iberi:
Atque hoſtis ſolus ſentiet eſſe gravem.

GOLILLA
DECRETO JOVIS INTERDICTA.
LUDUS
CATHOLICI REGIS
VERSU REDDITUS.

REgale Olympi nuper in Palatium
Primos Deorum convocavit Jupiter;
Res namque permoleſta, nec patiens moræ;
Conſilio egebat. Illico omnes advolant,

Suoque in orbem conſident juſſi ordine.
Tunc ille vultu flammeo ſic incipit.
Æterna noſtri decora vireſque Imperî,
Queis regere ſub me ſidera & terras datum;
Audite Proceres. Incubat mundo grave,
Superiſque & imis pariter infeſtum malum:
Cui vos mederi protinus mecum decet,
Si publica ſalus, ſi tuendi Principis
Cura aliqua veſtri tangit. Hæc injuria
Nam me viritim ſpectat. Infremuit Deûm
Id audiens corona: ſtudioque offerunt
Certante famulam quiſque, quà valent, opem.
Phœbus ſagittis, enſe Mars, clava Hercules,
Tonante Pallas ægide, ulciſci parant:
Seu forte rurſus bella Terrigenûm furor
Minetur aſtris; ſeu Lycaonis nefas
Tyrannus aliquis impia renovet manu.
At non Gigantum, non Tyrannorum effera
Metuenda vis eſt, excipit Rector Poli:
Utrique meritum fulmen experti jacent.
Pudet fateri. Res levis mortalium
Divûmque Patrem penè me leto dedit,
Incluſo anhelas ſpiritu fauces premens.
Livore multo cernite ut cervix tumet!
Vix jam movere languidum licet caput
Et quod gravius eſt, ſupplicantium vetat
Annuere votis contumax colli rigor.
Quid ſit rogatis? Vereor ut merear fidem.
Golilla, linum vile, Saturni Patris
Felice regno excluſa, ferali colu
Quàm nigra nevit publicam in peſtem Atropos,
Golilla ſcelus hoc fecit. Hanc ferimus tamen,
Immo ejus etiam gratiâ non pœnitet
Malè obligato ſtrangulari gutture!
Ne tanta labes nomini noſtro hæreat.
Tandem cavendum eſt. Ergo ne perdat Jovem,

Fatale linum pereat. Et cùm poſtulet
Mei paterna Numinis clementia,
Ut & ſaluti conſulam mortalium:
Uſum Golillæ, certa quæ humani eſt lues,
Cladeſque generis, lege perpetuâ veto.
  Tam juſta plauſu cœtus & voce approbat
Decreta. Telam nec mora omnes detrahunt
Collo nocentem: liberoque gutture
Cantare gaudent vindicis laudes ſui.
  Atque ille vultu jam ſereno; cogere
Non ego Melampi vel Machaonis velim;
Lege hac nepotes, inquit, utantur ſuo
Ut antè jure. Si quid eſt mali ſcient
Sanare medici. Quid quod & gravitas erit,
Et mentiendi major hinc auctoritas.
Golilla ſtringat colla; quamvis occinant
Oracla vanis vaniora fabulis,
Apud imperitum vulgus invenient fidem.
Novus ad Iberos venit Æſculapius,
Animum in puſillo corpore ingentem gerens.
Miris Golillam ferre quem decet modis.
Erecta cervix grandiorem ſe facit
Minuendo. Formæ gratiam adjungit teres
Et gracile collum. Quod decus ne vir ſibi
Raptum queratur, legis immunem volo.
Sic elocutus Jupiter miſit Deos.

AD V. CL.

REGINALDUM SEGRÆSIUM

Hippocrene in ejus horto renaſcens.

ODE.

QUem, Reginalde, tuo fontem miraris in horto
Non ante viſum ſurgere;
E gelidâ in ſilvis ne credas rupe creatum,
Ut fontium vulgus ſolet.
Neve putes glaucâ vicini ad fluminis oram
Natum eſſe furtim Naïade.
Noſti Hippocrenem, quam Pegaſus extudit olim
Sonante præpes ungulâ,
Magnorum inflammare animos in carmina Vatum
Suetam efficaci poculo?
Illa ego ſum. patriâ extorris regione quietas
Huc venio ſedes quærere.
Nam neque deſertas libeat percurrere valles,
Mutumque Parnaſſi nemus:
Damnatam ſtolidi fauces lenire bubulci
Suoque rudioris grege:
Captivas nec amem triſti cum murmure lauros
Lacrymis rigare jugibus:
Hei mihi! quot terram ſubter pontumque labores,
Quot paſſa ſum pericula!

Non

Non Arethuſa ſuos, dum fallere tentat amantem,
Exæquet errores meis.
Sed tanti eſt vel ſic regna & ſervile Tyranni
Fugiſſe Threicii jugum:
Ogygiâque procul, Cadmo fundata tueri,
Meliore fato, mœnia.
Et jam, ſi qua fides, dudum huc migravit Apollo,
Omniſque Muſarum chorus.
Sed valeant, modò tu Muſis & Apolline cuſtos
Adſis mihi felicior.
Non alio poſthac imbutæ numine lymphæ
Sacrum furorem ſpargere
Incipient. Noſtro prolutos rore Poëtas
Ingens ſequetur gloria.
Materiam LODOIX cantus dabit: ipſe canendi
Tradet modum SEGRÆSIUS.

DELFINUS TURCARUM VICTOR.

ODE.

AD EXCELLENTISSIMUM ECCLESIÆ PRINCIPEM DANIELEM MARCUM DELFINUM SUMMI PONTIFICIS IN GALLIA NUNTIUM.

Qualis per Libyæ avia
Paſtus lanigeri cæde gregis leo,
Si fors undique ſe premi
Venantum ſubito ſenſerit agmine,
Horrendùm ferus infremit:
Hirſutamque toris excutiens jubam,
Et caudâ feriens latus,
Crebro iras reſides verbere ſuſcitat.
Tum ſpretâ nece fortior
Inter tela gravi proruit impetu,

Sævitque unguibus, & ſuis
Stratos cum canibus dilacerat viros.
Talem nuper Achaïco
Delfinum ſtupuit Nereus æquore
Proturbantem Otomanidas:
Gaudentemque ſequi vela fugacium
Retrò grandine ferreâ:
Flammarumque globos volvere, & hoſticis
Hæſuras ratibus faces,
Non ſimplex meritis naufragium pati.
Jam Victoria laureis
Flavam vincta comam, raptaque barbaræ
Claſſi inſignia ventilans,
Implebat reſonis æthera plauſibus.
Sed Fors invida reſtitit,
Delfinique triumpho oppoſuit moram:
Dum pinum, male proſperis
Fidentem zephyris, huic temere in latus
Impingit ſociam, implicans
Funes funibus, & lintea linteis.
Fruſtra. Non aliàs loco
Virtus difficili prodita pulchrius
Monſtravit ſpecimen ſui,
Nec factum memoriis dignius inſeri
Ævi faſtibus edidit,
Ad gentis Venetæ perpetuum decus.
Quanquam prædicet Actium,
Et teſtes Scythicæ cladis Echinadas,
Captivamque Propontida,
Rubrumque Odryſio ſanguine Boſphoron;
Ac Lunæ toties freti
Extincta Euboïci cornua fluctibus.
Infeſto quater agmine,
Non vanis gravidas fulminibus trabes
Mezomortuus impulit,
Captos pollicitus Chriſtiadas ſuo

Immolare Muhammedi.
Aſt Heros furias, votaque fortiter
Veſani impia Transfugæ
Spernens, impavido lumine vulnera,
Et denſas comitum neces
Vidit, non dubius vincere, vel mori,
Objectâque volubili
Fortunæ invidiâ; tollere, ait, potes
Et vela, & zephyros mihi:
Virtutem atque animam tollere non potes.
Hæc quandoque aderunt, fruar
Quæſitâ ſine te victor adoreâ.
Dum fatur, laceris Scythæ
Toto diffugiunt æquore navibus.
Delfinumque agilis cohors,
Heroïs Veneti nomine geſtiens,
Lætis motibus adſilit;
Et quà fas meritis plaudit honoribus,

NOBILISSIMO ADOLESCENTI

JOANNI BAPTISTÆ D'ESTAMPES,

EMENSO PHILOSOPHIÆ CURRICULO,

AD LAUREAM ARTIUM ASPIRANTI,

Et ſub auſpiciis PHILIPPI Regis Fratris
Unici Theſes in Harcurio propugnanti.

ODE.

I Quò ſecundo numine & præſagiis,
Baptiſta, non fallentibus,
Cupido honeſta laudis, & flore in ſuo
Matura virtus te vocat.
Aperitur ingens campus, atque gloriæ
Illuſtris offertur ſeges.
Bellandum. at iſta non manûs, ſed ingenî
Vim bella roburque exigunt.
Pulcri nec anceps alea eſt certaminis,
Cui certa ratio præſidet.
Juvenique properat lauream Victoria
Viro triumphos deſtinans.

Veſtræ illa gentis ſcilicet domeſticam
Uſu perenni ſe probat
Lenis Minervæ gaudet ut quiſque artibus,
Martiſve ſtudiis horridi,
Huic debita venit palma. Stampææ domûs
Fatale ſic aſtrum tulit.
Floret *a* Jacobi nomen, & plauſû trium
Celebrata Regum gloria.
Summi aulæ honores, militariſque imperî
Inſigne clarum ſcipio,
Raptum ſepulcro, Galliæ immortalibus
Faſtis merentem conſecrant.
An fabuloſi torva proles Pelei
Tuo Te *b* Achilli comparet?
Quem Roma ſacri jura patrimonii
Victrice tutatum manu,
Inter ſuos ſedére vidit Principes
Latio nitentem murice.
Dum Chriſtiani Melita propugnaculum
Erit orbis, & gravi minax
Offundet umbrâ Thraciæ Lunæ jubar;
Magni *c* Valencæi memor
Tremet Propontis: barbaræ & toto rates
Fugam capeſſent æquore.
Tacebo *d* Patrem? cujus invictam haud ſemel
Senſere dextram Teutones.
Captiva ſeu cùm Mercii fraude agmina
Forti recepit prœlio:
Seu cùm Turennî lacrymabili nece,
Noſtriſque tumidos luctibus,

a Jacques d'Eſtampes Maréchal de France.
b Achille d'Eſtampes de Valencé Cardinal.
c Monſieur d'Eſtampes de Valencé Grand Prieur de France.
d Monſieur le Marquis d'Eſtampes.

Ferro coërcens vindice viciſſim ſua
Plorare juſſit funera.
Egregia juſto Ludovicus præmio
Fraudate facta neſcius,
Quo jura victis Regibus ſolet dare,
Hôc ore laudavit Patrem.
Clarique teſtem ſanguinis torquem, & decus
Virtutis expertæ addidit.
Sed Marti amicos non creat ſolum duces
Fecunda laurorum domus.
Et illa placidis ſæpe Pacis artibus
Heroas inſignes tulit.
Quos æmulere, ferre par Eccleſiæ,
Almæque Themidis infulas.
Offert coronam ſtemma avitum triplicem;
Tu digniorem ſelige.
Neque obtinere non erit levis labor;
Auſpice PHILIPPO militas:
Philippo, amores quem ſuos palmæ memor
Caſſellianæ Gallia,
Suumque fulmen bis triumphans, hoſtibus
Solo & ſalo verſis, vocat.

EMINENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

CÆSARI CARDINALI D'ESTRÉES

REGIORUM ORDINUM

COMMENDATORI,

ODE.

MAJORES alii tuos
A prima referent, Cæſar, origine:
Narrabûntque quot hoſticis
Claravere duces exuviis domum.
Dicent Principis ut comes
Sancti a Rollo, acies fregerit haud ſemel
Ferro barbaricas, novum
Cùm Carthago vetus pertimuit jugum.

a Rollo d'Eſtrées Franciæ Mareſchallus, S. Ludovicum ſequutus in expeditione Tunetana.

Ut Franci *a* Jovis armiger
Janus, certa manu fulmina moliens,
Anglos cum tonitru gravi
Verſis obruerit Caleſii arcibus.
Cui non cognitus Annibal *b*?
Factis fortibus & Martis adoreâ
Pœno par, melior fide,
Et pacta indocilis rumpere fœdera.
Ejus nunc quoque liberis
Nomen jactat ovans Rhætia Vallibus.
Agnoſcitque Atheſis ſuum,
Grato lene ſtrepens murmure, vindicem.
Et te magnanimo Patri,
Ceu Fratres geminos, bellica laus fuit
Æquatura: ſed artibus
Majorem placidis quærere gloriam
Suaſit Relligio, ſibi
Immortale parans præſidium & decus.
Atque immenſa mihi ſeges
Hinc laudum exoritur; Leſbia quîs parem
Vix cantum inveniat lyra.
Nolis grande Pedum ſcilicet, aut Mitram
Vincentem diademata,
Nec Fulgens Latio murice Pileum,
Aptari rudibus modis;
Nec fœdus Batavorum, nec bene proſpero
Junctas conjugio faces:
Triplex unde beat Borboniden nepos.
Fallor? Per vacuum æthera
Ad ripas Tiberis me Deus abſtulit?
Tarpeii veteres Jovis
Sedes aſpicio, templaque laureis

a Joannes d'Eſtrées Rei Tormentariæ Præfectus obſidioni Caleſii interfuit.
b Annibal d'Eſtrées Dux & Par Franciæ, idemque Mareſchallus, Vallem Telinam ab Hiſpanis occupatam liberavit.

Inſignita ducum, & Petri
Ædem ſidereis arcibus æmulam.
Cuſtos Orbis & arbiter,
Soloque inferior, cujus obit vices
Perſonamque gerit, Deo;
Hîc dictat populis jura fidelibus.
Adſtant purpurei Patres,
Florens Concilium: quos avidis tenet
Captos Eſtreus auribus:
Blandâ non ſine vi quò libuit trahens.
Seu Chriſti gregibus lupos;
Moliri inſidias voce monet gravi;
Hortaturque licentiam
Et morum maculas tollere legibus.
Seu defendere Galliæ
Audet jura ſuæ, fortis; & hoſtium
Nil ſævas metuens minas
Sacris conciliat Lilia Clavibus.
At tu Semideûm parens
Felix, Roma, novum reſpice Cæſarem.
Civis hic etiam tuus,
Mundi dignus erat qui regeret caput.

ILLUSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

FRANCISCO

HARLÆO

PARISIENSIUM ARCHIEPISCOPO, Duci & Pari Franciæ, Regiorum Ordinum Commendatori, &c. S. R. E. Cardinali deſignato.

CONFLUENTES.

IDYLLIUM

Ad modos numeroſque muſicos accommodatum.

ARGUMENTUM.

Sequana & Matrona, Naiadum ſuarum ſtipati Choro, Favonium Zephyroſque invitant ad hortos DAPHNIDIS, *ubi confluunt, inviſendos. Quos dum certatim exornant, in domini laudes effunduntur.*

SEQUANA.

VENTORUM placidiſſime,
Mundi anima, Veris portitor, florum parens;

Accelera, propera, Favoni.
Quate rorantes nectare pennas;
Suſpiriiſque recrea felicibus
Quæ loca DAPHNIS amat, Paſtorum gloria
DAPHNIS.

MATRONA.

Huc feſſus gravium venit laborum
Captare ſeceſſus breves,
Et novis vires reparare curis,
Dum Grex ſub oculis paſcitur
Procul metu luporum.

SEQUANA & MATRONA ſimul.

Ergo age, ventorum placidiſſime,
Mundi anima, Veris portitor, florum parens:
Accelera, propera, Favoni.
Quate rorantes nectare pennas;
Suſpiriiſque recrea felicibus
Quæ loca DAPHNIS amat, Paſtorum gloria
DAPHNIS.

FAVONIUS.

Noſtra nil opus eſt ope.
Hortis ipſe ſuis hunc præſtat DAPHNIS honorem.
Nam quacumque pedem tulit,
Tellus mille ſinum picta coloribus
Blanditur oculis, pellicitque nares.
Sponte roſæ violæque ſurgunt.
Gemmat odoratis baccis citrus.
Stellis coruſcat gelſeminus argenteis.
Punica corona nectit aurata comas.

CHORUS ZEPHYRORUM.

Tibi, DAPHNI, ſacra laurus,
Tibi, DAPHNI, pulcra myrtus,
Lympha, fontes, aura, frondes
Admurmurant, adſibilant.
Probare cuncta geſtiunt amorem.

CHORUS NAIADUM.

Cærulum tibi per amnem
Candidi plaudunt olores:
Per nemus canunt volantes
Aëdones, acanthides.
Præſtare cuncta geſtiunt honorem.

FAVONIUS cum duobus Choris repetunt.

Probare cuncta geſtiunt amorem.
Præſtare cuncta geſtiunt honorem.

MATRONA.

Et meritò. Quod enim licuit, ſi DAPHNIS abeſſet,
Sperare ſolamen malorum?
Quum peſte Lernæâ Hydra nocentior
Ripas teneret, mœſta circùm
Urens prata, ſuo ſimul & pecus enecans veneno.
Sordidâ, miſerum! reclinis urnâ,
Limoſaque caput ſub arundine, præ pudore, condens,
Augebam aſſiduis turbatas fletibus undas:
Ac, ne liquores, Sequana, inficerem tuos,
Sæpe retro incaſſum tentavi flectere curſus.

OMNES.

At nunc Hydra jacet: querimonia, lacrymæq; ceſſent.
Illam GALLICUS HERCULES
Ora nigro centum pandentem livida tabo,
Linguiſque centum ſibilantem,
Victrice confecit manu.
Io! triumphe. cuncta monſtro
Monſtra ſemel periere in uno.
Io! triumphe.

DUO ZEPHYRI.

DAPHNIDIS nec nulla tanto
In labore pars fuit.
Ipſe Belluæ cubile
HERCULI oſtendit prior:
Ipſe juvit efficaci
Præliantem carmine.
Sed & ova, vipereum genus
Reparare nata, fregit; atque peſtilens
Semen funditus exſcidit.

CHORUS NAIADUM.

Quis grates meritis perſolvet talibus æquas?
Quis digna reddet præmia?

CHORUS ZEPHYRORUM.

Regale munus principis Paſtorum,
Purpura culmen honorum,
Vix erit ſat ampla merces.

MATRONA.

Ingratum tamen eſſe pudet.
Ibo, ibo: levibus rotis,
Inſuetam fluviis viam,
Aëra per medium, pandam mihi.
Dux Amor vires dabit.
Ergo ſubter humum felices lapſus in hortos,
Plumbo recluſas fuſili
Ejaculabor aquas. hæ tortæ more ſagittræ,
Gratúmque ſtridentes per auras,
Humenti ferient cuſpide nubila:
In terram riguus de vulnere profluet imber.
Formas denique in omnes
Proteus me novus induam,
Lubricuſque mille rerum
Vertar in miracula.
Juvat, juvat perdere nomen,
Partemque meliorem mei;
DAPHNI, dum placeam tibi,
Et data deliciis ſerviat unda tuis.

SEQUANA.

Quin potiùs, ſimul agmine juncto,
Luſtremus ambo quæ ſuis laboribus
Sacra DAPHNIS loca fecit:
Nomenque portemus mari.
Quacumque pronis alveis feremur,
Plena ſunt eo omnia.

CHORUS ZEPHYRORUM & NAIADUM.

DAPHNIN arva, DAPHNIN urbes,
Æmulis concentibus

Certant tollere cælo.
Læta DAPHNIN reddit Echo,
Et amicum reſonando nemoroſas
Garrula per valles nomen, monteſque volutat.

FAVONIUS.

Hunc bellicoſæ jura quæ dat Neuſtriæ,
Mixto dolore gaudio,
ROTOMAGUS meminit fuiſſe
Suas delicias, ſuoſque amores.
Et nunc LUTETIÆ quem dedit, invidet.
Etiamque repetat jure, ſi poſſit, ſuo.
Sed civitatum principem
Hoc demum decuit potiri honore.
Cuſtoſque ſolus regii
Eſſe Gregis meruit, Paſtorum gloria DAPHNIS.

OMNES.

Sit felix: nec cælo umquam gaudere ſereno,
SOLISque amico lumine deſinat.
Aconiti mala pratis procul herba,
Procul hortis Aquilonum furor abſit:
Neque dirus grave letum lupus agnis,
Nec ariſtis fera grando meditetur.
At quum debita ſcandet aſtra ſerus,
Nomen ejus omnis arbor, omnis & flos
Inſcriptum ſervent foliis & cortice vivo:
Recenſque ſemper orbe toto DAPHNIDIS
Fama virûm volitet per ora.

SERENISSIMO

DUCI BURGUNDIÆ

BELGICI EXERCITUS

IMPERATORI.

I, Propera, tua quò virtus, Lodoice, ſecundis
Ominibus, quò te faſque fideſque vocant.
Fœdifragos preme bello, & fratrem ulciſcere frater
Sitque ea militiæ laurea prima tuæ.
Tutari reges & debellare Tyrannos
Borbonium eſt, avus hoc cum genitore probat.
Cernis ut arma fremat, te Principe, læta juventus
Et potiùs quàm non vincere, certa mori.
I, divum ſoboles, maturum perfidus hoſtis
Tyrone in tenero ſentiat eſſe ducem.

TRADUCTION.

L'Amitié, le devoir, la vertu vous appe'le
Un Bourbon *ne ſçauroit méconnoître leur voix*
Allez donc meriter une gloire immortel'e
En vous ſoûmettant à leurs loix.
Philippe *eſt menacé, vo'ez à ſa défenſe;*
Que le premier de vos exploits
Soûtienne l'honneur de la France
Et vange le ſang de nos Rois.
D'un Pere, d'un Ayeul rappellez la memoire,
Pour des Rois étrangers que ne firent-ils pas?
Aux yeux de l'Univers retracez leur hiſtoire,
Et devenez comme eux l'appuy des Potentats.

Mille Heros naiſſans déja courent aux armes,
Jamais pareille ardeur ne brilla dans leurs yeux;
Le repos, diſent-ils, pour nous n'a plus de charmes,
Allons vaincre, ou chercher un trepas glorieux;
Partez, que rien ne vous retienne;
Puiſſent nos Alliés ſurpris
Qu'un ſi jeune guerrier ſoit un vieux Capitaine
Douter ſi c'eſt l'Ayeul, ou le Pere, ou le Fils.

J. Delmas de la Compagnie de Jesus.

IN MENALEAM

FLUXÆ FIDEI

PROMISSOREM.

Cum velles dare defuit poteſtas,
Cùm poſſes dare defuit voluntas.
Iſtis pro meritis precor, Menalca,
Mihi ut multa velis dare atque poſſis,
Queis poſſim atque velim lubens carere.

R. P. FRANCISCO
DE LA CHAIZE
E SOCIETATE JESU
REGI A CONFESSIONIBUS.

JAni Calendas antevertens, veneram
Declivis anni, Caſa, Felicem exitum
Ut gratulater, adprecaturus parem
Curſum appetentis, immo meliorem, tibi.
Peramanter audis, quæ tua eſt humanitas:
Tum quæris ecquid Muſa pepererit novi.
Turpe eſſe vati ſcilicet ſilentium.
Dum cuncta noſtris perſtrepunt victoriis,
Tu tempori nobiſque fabulam neges?
Mihi cum Cœmenis jam nihil commercii eſt,
Repono: reſque habere ſibi juſſi ſuas.
Hiſtoria poſtquam me tenet, Poëſeos
Figmenta ſordent. Sola veritas placet.
Non ſtabit, inquis, hoc diu divortium;
Quemcumque Apollo numine afflavit ſemel,
Dulci laborat ſemper ille inſania.
Tua dicta vim fecere. Fabulis licet
Juratus abſtinere, quoniam ſic jubes,
Nec valeo non parere, fabulas dabo.

Victor retundet Solis ignes heſperus.
Danubius ore noſtra ſorbebit freta.
Delphina Rana Batavica deglutient.
Alpinus ungue Regulus Gallum opprimet.

AD AURAS MONTIS LUDOVISII DOMESTICAS.

UT R. P. LUDOVICI VALESII Valetudinem confirment.

ODE DITHYRAMBICA.

FILIÆ Favonii,
Dulces Veris alumnæ,
Formoſa Ludoviſii
Quæ Montis colitis juga:
Feliceſque per hortos
Levi aëris vectæ eſſedo,
Murmurando, ſibilando, ſemiſopitos
Amatis excitare flores:
Cur præter ſolitum vos pigra detinet,
Auræ, ſegnities? non pudor eſt toris
Indormire virentibus,
Et trahere Ulmorum lenta inter brachia ſomnos;
Mutuas Echo referente rixas.
  Audimur fremitu ſacrum
Protinus inſonuit grato nemus. Undique motis
Se pennis rapidæ levant ſorores.
Fontiumque propter undas,
Arborumque ſubter umbras.

Per plana, per declivia,
Dulci non ſine ludo
Argutiſque cachinnis,
Quà fert libido præpetes vagantur.
Deterſo nebulas pars æthere, noxioſque amicis,
Fugat vapores flatibus.
Pars halitum Roſæ fragrantem,
Atque animam Violæ, & Citri florentis odores,
Puroſque ſugit Tuberoſæ ſpiritus,
Quos æger patulis naribus hauriat,
Fomentum pulmonis anheli,
Et nauſeæ expers pharmacum,
Fruge Machaoniâ mediciſque potentius herbis.
Cùm jam recluſo Titan Oriente morantes
Aureo Stellas pepulit flagello;
Surgite, feſtinate, volate.
Cœli cura Valeſius,
Cui ſempiterna regiæ prolis ſalus
Auctore Magno, credita,
Veſtram poſcit opem ſibi
Nigri faucibus erutus ſepulcri,
Noſtriſque lacrymis atque votis redditus,
Venit huc feſſas recreare vires;
Omneſque morbi contumacis
Relliquias ſpetat non fruſtra extinguere: ſi, quod
Blando carmine Vates
Impetraſſe velim, ocius teporem
Languenti ſtomacho, ô bonæ,
Inſpirabitis almum.
Sic uſque radiis frigus infeſtum ſuis
Aurora vobis temperet;
Ardentiſque Caniculæ
Sedet lacrymis mollibus ignes.
Sic adſtrepentes provocare gaudeat
Cantu Luſcinia æmulo,
Feſtivam ergo diem læti celebrate Sodales;

Et pro recepto gratulantes urite
Promiſſa Divis thura Valeſio.
Tuque prior, CASA, plaude tuis nunc denique curis.
Nec te pœniteat faciem immutaſſe locorum,
Arentique ſolo multis fonteſque lacuſque
Expreſſiſſe laboribus :
Grande operæ pretium refers,
Quod LUDOVICI Regiæ Verſaliæ
Vix inchoarunt, perficit
Beata Montis Villa Ludoviſii.

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

UT

POTESTATEM DIU RECUSATAM

ÆGRE ACCEPTAM,

A TUENDA ECCLESIÆ PACE,

PRINCIPUMQUE CHRISTIANORUM

Concordia feliciter auſpicetur.

ODE.

CUR plauſu in medio, favens
Quem dat Roma tibi, mœſtitiæ indices
Non fictæ gemitus trahis;
Et vultus lacrymis uberibus rigas?
Tandem deſine, honoribus.
Averſus meritis, noſtraque gaudia,
Et ſpem fallere publicam.
Te clari Latio nutrice Præſules
Ad Petri Cathedram vocant:
Et regnis gravidas ferre parem infulas
Conſenſu unanimo legunt.
Auſteri nimium propoſiti tenax
Diſſentire cave Deo:
Neu duræ propriæ crede modeſtiæ.

Orbi redde ſuum caput :
    Urbi redde Patrem, clavibus aureis
Qui claudat vetus, & novum
    Felici referet omine ſeculum.
Gratemur Superis. Sua.
    ALBANUM pietas, non ſine vi tamen,
Demum cedere perpulit.
    Auguſtæ triplici tempora circulo
Vinciri patiens mitræ,
    Inſertur ſolio : & ſub pedibus videt,
Inſtinctos reverentiâ,
    Romanos Proceres flectere verticem.
CLEMENTEM interea ſonant
    Flammis innocuis æra tonantia.
Junctis cornua tympanis
    CLEMENTEM recinunt : æmula nec deeſt
Echo plus vice ſimplici
    De ſeptemgeminis reddere montibus.
Ac jam Fama curulibus
    Euris Auſoniam, & perpetuâ nive
Alpes transvolat hiſpidas,
    Europæ populis lætitiam ferens :
Mox fines Aſiæ ultimos,
    Vaſtaſque Americes & Libyæ plagas,
Tanti nomine Principis,
    Impletura : Erebus quamlibet obſtrepat
Ardens invidiâ, gravem
    Dum rebus metuit perniciem ſuis.
Hac CHRISTI tenus in Ratem
    Arctoas hiemes, & rabiem Noti, &
Sævum vorticibus mare,
    Bacchari licuit. Sidere nunc erit
Sub Clemente beatior.
    Nunc Syrtis ſcopulos, ſaxaque naufraga,
Inturbata periculis,
    Prædonumque avidas deſpiciet manus.

Illam

Illam quippe regis, PATER,
Clavum doctâ habilis flectere dexterâ.
Serves incolumis diu;
Nec Regum fugias arma minantium,
Majeſtate ſupercilî,
Delinire animos. Gallia Iberiæ
Jam non æmula, ſed ſoror
Quàm non pacis amat rumpere fœdera;
Tam defendere fortiter
Injuſtam à ſociâ vim parat hoſtium.
Hoc ſit auſpicium novi
Felix Imperii, MAXIME PONTIFEX
Mundi conſulere otio.
Terrarumque potens, atque poli arbiter,
Bellum, jure tibi dato,
Æternis cohibe ſub ſtyge vinculis.

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO
EUROPA SUPPLEX.

ODE.

EMpti ſanguine proprio a
Cuſtodem eſſe Deus quem voluit gregis;
Romæ non ſine plauſibus,
CLEMENS, carminibus da faciles meis

a Hanc Oden lecto affixus, & paulò ante obitum ſcripſit.

Aures. Non temerarius
Laudator venio, parce metu, tuam
Irritare modeſtiam.
Europæ gemitus & lacrymas fero,
Belli, fœdere Principum
Rupto, centuplicis fluctibus obrutæ,
Cui feſtinus opem, Pater,
Ni præſtas, miſeræ depoſita eſt ſalus,
Non ignota tibi loquor.
Scis quanto Italiam Cæſareæ impetu
Invaſere acies: equûm
Ut pulſæ tremuere atque virûm ſolo
Alpes: decolor ut Padus
Mixtis ſanguine aquis polluit Adriam:
Et cladis veteris memor,
Pro caris timuit Mantua aloribus.
Vexatos taceo Inſubres,
Tentatamque minis Parthenopes fidem.
Quis, Cremona, tuæ queat
Noctis, non lacrymans, dicere prælia?
Aut pugna male proſpera
Penſantem Chiari funera Luzaram?
Nunc Famæ volucri eſſedo
Perluſtrare alias ſi libeat plagas;
Quam rerum miſerabiles
Formæ ſe ſe oculis objicient tuis!
Hinc Germania copiis
Fidens innumeris, vertere Galliam
Fatali excidio parat:
Jacobi inde timens Anglia vindices,
Francæque invida gloriæ,
Vaſtis Oceanum claſſibus occupat:
Tungros dum Batavi ſuis
Emerſi lacubus marte gravi premunt.
Omnes dirus agit furor,
Regali Juvenis Borbonidæ manu

Sceptrum tollere debitum,
Ac ceras CAROLI proterere ultimas.
Incaſſum. nec enim, pio
Si Pacis ſtudio mitius hoſtium
Auſis reſtitit improbis,
Graſſari LODOIX ulterius ſinet.
Iræ nobilis acribus
En preſſi ſtimulis, prælia, prælia,
Juncti militibus duces,
Signorum indociles ferre moram, petunt;
Pœnas, Angle ferox, dabis,
Ac Regis ſolio denique redditi,
Pardis triſte frementibus,
Exoſum tolerare incipies jugum.
Nec vobis, Batavi, diu
Felici dabitur perfidiâ frui.
Lunæ qui ſpatio brevi
Tot captis trepidos exuit urbibus,
Cogens, inter aquas rogos,
Terrarum in medio naufragium pati;
Ultor rurſum aderit; ſua
Et præbente Deo fulmina, ceu prius,
Non torquenda levi manu,
Certis fœdifragos ictibus opprimet.
O ſi pacis amicior
Cæſar conſiliis, ſpem dubiam imperî
Augendi minus audiat;
Quot ſtrages hominum, funeraque urbium,
Nobis & ſibi providus,
Avertet! Tuus eſt, ſancte Parens, labor,
Hæc te gloria reſpicit,
Diſcordes animos inviolabili
Nexu jungere Principum:
Ac fœdus meliori auſpicio triplex
Diro opponere fœderi,
Mundi flebile quo diſſidium ſtetit.

Ferrum fratribus excute
    Tingendum melius ſanguine Barbaro.
Blandis adde minis preces;
    Dic quid Relligio, quid pietas vetet
Divûm progeniem aggredi.
    Fac Pacis ſociæ, Juſtitia & Fides,
Armorum profugæ metu,
    In terras revolent. claude adamantinis
Belli limina clavibus.
    Sic Europa malis denique libera,
Flexo ſuppliciter Deo,
    Non ceſſet memores ſolvere gratias.
Sic CLEMENTIS amabile
    Nomen, Cœlituum concilio additos
Inter Pontifices, amet
    Olim Roma ſuis condere faſtibus.

QUERELA AUTHORIS

Cùm æger lautiores faſtidiret cibos.

QUid juvat irritare famem genialibus eſcis,
    Campanóque ſitim ſollicitare mero?
Faſtidit ſtomachus tam lauta obſonia languens,
    Nec, reor, huic nectar poſſe placere Jovis.)
Tantale, jejunas dapibus fugientibus ora,
    Oblatas fugiens, ſum ſatur ipſe, dapes.

EJUSDEM

GRAVITER DECUMBENTIS

EXPOSTULATIO.

INſomnis inter longa noctis tæ[illegible],
Inter dolores aſperos
Phœbum rogabam ferre graſſanti malo
Herbis opem ſalubribus :
At ille ridens cepit argutas fides
Molli increpare pollice :
Et noſtra, dixit, quid requiris gramina ?
Medicina vatis carmen eſt,
Aude experiri : ſic locutus, auream
Mihi obtulit teſtudinem ;
Cecini, Deo jubente, pulſiſque illico
Venit ſopor doloribus.

AD SERENISSIMUM

PRINCIPEM CONDÆUM

Solo lacte ab annis aliquot victitantem.

ODE.

Lactis uſum convenire Heroibus.

NE ſit pudori lacte regales mero
Mutare, BORBONI, dapes;
Luxu & remoto, pellere innocentibus
Sitim famemque poculis.
Haud alius olim, Rege Saturno, cibus
Heroas aluit & Deos:
Quum pura adhuc, recenſque ab auctoris manu
Natura neſciret ſcelus,
Riviſque latice candido manantibus
Curam & labores mergeret.
Tunc illa lacti concolor proles ſuo
Agitabat ævum lætius:
Nec quid ſenectus, quidve lautitiæ comes
Foret podagra, noverat.

TRADUCTION DE L'ODE.

A SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEUR LE PRINCE,

Sur ce qu'il ne vit plus que de lait.

SI la frugalité qui regne en vos repas
Succede au luxe qu'elle chaſſe;
Si de cent mets exquis le lait y tient la place,
GRAND PRINCE, *n'en rougiſſez pas.*
Autrefois lorſque la Nature
Ne faiſoit que ſortir des mains de ſon Auteur,
Et conſervoit un tranquille bonheur
En ſe conſervant toute pure:
La terre vit couler mille ruiſſeaux de lait
Sur ſes campagnes fortunées,
Dieux & Heros en bûrent à ſouhait,
Et vécurent longues années.
Ils avoient beau ſe régaler;
Jamais aucune maladie:
Parmi tant de plaiſirs jamais pour les troubler
Goutte ne fut aſſez hardie.
Pour ce grand Jupiter qui fait craindre en tous lieux
Sa Majeſté ſuprême & ſa vaſte puiſſance,
Une Chévre eût l'honneur d'élever ſon enfance:
Il fut nourri de lait, & ce Maiſtre des Dieux
Le trouvant à ſon goût, ſoit par reconnoiſſance,
Soit pour avoir toûjours du lait en abondance,
Mit ſa Nourrice dans les Cieux.

Tunc & capellæ plena ſiccantem ubera
Tellus adoravit Jovem :
Qui, ne ſibi unquam tam bonus deeſſet liquor,
Nutricem Olympo tranſtulit.
Apollo dulci rore quum cuperet frui,
Servavit Admeti boves :
Mammaſque crebro ſuxit, Ambroſiæ ut vetus
Abſtergeret faſtidium.
Hoc ipſe madidus nectare Alcmenæ puer
Nova fecit orbi ſidera :
Quot ab ore guttæ, dum bibit, defluxerant,
Tot iere per cælum faces.
Languere inerti ne tamen crede otio
Queis molle placuit poculum :
Lac auget animos. Inde magnorum venit
Effector operum ſpiritus,
Puroque bilis igne, cognata & ferens
Superas ad arces pectora
Ætherius ardor. Sic feros idem Hercules
Lactantis in matris ſinu
Eliſit angues; ſeque conciliis Deûm
Patrioque deberi polo,
Jam tum probavit. Sed quid exemplis fidem
De fabuloſis quærimus?
Ephratæus ille paſtor, immanes manu
Cui ludus urſos frangere;
Cui ſæpe preſſo gutture horrendum fremens
Succubuit in ſilvis leo;
Virtutis unde robur indomitæ hauſerat
Et cor pavere neſcium?
Per ſola patrios rura ſectantem greges
Succo fovebat vivido
Expers aratri vitula, & infeſtis lupos
Laceſſere audax cornibus.
Hinc funda victrix, & Palæſtinus caput
Suo enſe truncatus gigas.

Et quel fut le ſujet de la metamorphoſe
D'Apollon en ſimple Berger ?
A garder un troupeau s'il vouloit s'engager,
Quelle en pouvoit eſtre la cauſe ?
Si ce n'eſt que ce Dieu ſe ſentoit dégoûté,
De ce fade Nectar verſé par Ganiméde,
Et que de ſon dégoût c'étoit le vray remede
Que de boire du lait en pleine liberté.

Voyez ces aſtres dont à peine
Il vient jusques à nous une foible lueur :
C'eſt là ce même lait qui tomba par malheur
De la bouche du fils d'Alcméne ;
Et comme il eût eſté perdu
Jupiter ménagea ces précieuſes goutes,
En aſtres il les changea toutes :
Et du chemin de lait voilà ce qu'on a ſçû.
Le lait n'inſpire pas une molleſſe oiſive :
Un grand cœur en conçoit une flame plus vive ;
Qui ſans ſouffrir aucun repos
Par les élancemens d'une vertu divine
Remonte vers le Ciel, d'où l'eſprit d'un Heros
Sent qu'il tire ſon origine.

C'eſt ainſi que vainqueur de deux Serpens affreux
A l'Univers Hercule ſçût apprendre
Que la jeune valeur qu'il eſſayoit ſur eux,
Juſqu'au Ciel même auroit droit de prétendre.
Si la gloire dés lors fut ſon unique objet,
D'où tiroit-il ſes forces, ce courage ?
Du lait qu'il avoit pris ; car il eſtoit d'un âge
A n'avoir pris encore que du lait.

Mais d'un Heros imaginaire
Nous nous autoriſons en vain.
Vous connoiſſez ce Paſteur du Jourdain,
Qui ne ſe fit point une affaire
De déchirer les Lions de ſa main.

Tibi ipſe teſtis, BORBONI, an lac martios,
Reſtinguat ignes pectore:
Dicat Batavo mutuam in cladem & probrum
Male fœderatus Celtiber,
Epuliſque opimis fruſtra, & ardenti mero
Germanus iram ſuſcitans.
Valles Seneſi ſtrage cumularunt ſuâ,
Vinoque rubrum & ſanguine
Auxere Sabim. Pinguia obſcœnas adhuc
Paſcunt volucres corpora.
Ceu, quum Lybiſſæ matris expreſſum bibit
Mamma furorem turgida,
In bella catulus fertur, & ſævos boum
Triſtique cuſtodum nece
Exercet ungues. Efficaci poculo
Ad arma ſic vigor redît
Nova & juventas. Te quidem nuper *a* tribus
Cum vidit auctum laureis,
Hoſteſque trepido fugere cogentem gradu,
Alſatia juvenem credidit.
Nunc ergo dum te rore vitali fovet,
Vireſque feſſas recreat,
Lacti viciſſim reddis antiquum decus,
Meritoſque honores aſſeris.
Nam jure dici meruit Heroum cibus
Quando ipſe feciſti tuum.
Jam Gallus omnis, *b* nomini favens ſuo,
Præ delicato nectare
Faſtidioſus deſpuet ſuetas dapes,
Spretique dona Liberi.
Jam rurſus imbre lota divino novum
Trahent nitorem lilia.

a Expugnato Limburgo, Hagenoa & Taberna obſidione ſolutis.

b Galli, à voce γάλα, quæ lac ſignificat, habere nomen dicuntur.

Croyez-vous qu'un enfant avec un coup de fronde,
Eût défait une armée, eût étonné le monde?
Le ſang du Philiſtin comment l'eût-il verſé,
S'il n'eût ſenti ſa valeur excitée
Par le lait qu'il avoit ſucé
De quelque Geniſſe indomtée?
Pourquoy, PRINCE, chercher d'autre témoin que vous?
La genereuſe ardeur qui vous rend invincible,
Le lait peut-il l'éteindre, & parce qu'il eſt doux,
Voſtre bras dans la guerre en eſt-il moins terrible?
Que l'Eſpagne le diſe, elle qui ne s'unit
A la Hollande ſa rebelle,
Que pour partager avec elle
Les malheurs éclatans dont la France punit
Cette République infidelle.

Qu'ils le diſent auſſi ces valeureux ſoldats,
Qui dans de longs feſtins étudioient la guerre;
Ces Allemans qui puiſoient dans le verre
L'heroïque chaleur qu'ils portoient aux combats;
La Sambre ſe vit teinte, & ſes ondes troublées.
De ſang & de vin confondus
Aujourd'hui dans Senef ces grands corps étendus
Rempliſſent encore les vallées.

Tel qu'un jeune Lion qui boit en même temps
Et la fureur & le lait de ſa mere,
Et qui des ongles & des dents
Sur les troupeaux exerce ſa colere:
Tel, graces à ce lait dont la douce liqueur
Vous a fait de vos ans oublier la foibleſſe,
Vous avez au combat repris voſtre jeuneſſe
Et voſtre premiere vigueur.

Sans doute quand le Rhin vous vit de ſon rivage
Moiſſonner des lauriers nouveaux,
Il crût qu'il falloit eſtre en la fleur de ſon âge,
Pour porter tout le poids de ces nobles travaux.

At tu liquores quæ gravi nunquam ubere
    Summittere almos deſinis,
Juvenca felix! ſi poteſt quicquam meum
    Spondere carmen, & poteſt;
Non fabuloſis clara Graiûm verſibus
    Io tibi ſe præferet:
Ex homine quanquam facta bos, Dea ex bove
    Templo remugît aureo,
Populoſque blanda voce poſcentes opem
    Oraculis conterruit.
Dicêre quondam nobiles inter feras
    Tenere Olympi paſcua:
Vernoſque cornu ducere aurato dies
    Tauri marita lucidi.
Interea olentes perge regali memor
    Herbas Alumno carpere:
Præſteſque Francis lactea ut ſerus via
    CONDÆUS ad ſuperos erat.

Cependant pour le lait voſtre reconnoiſſance
Va ſi loin, que déja vous ne lui devez rien :
Si de voſtre ſanté c'eſt l'unique ſoûtien.
Il en reçoit la récompenſe ;
Vous lui faites honneur, quand il vous fait du bien.
Tous nos François glorieux de vous ſuivre
Des ſuperbes feſtins ne feront plus d'état :
Et je prévoy qu'ils ne voudront plus vivre
Que d'un nectar ſi delicat.
Bacchus même verra la vigne abandonnée,
Il arrachera de chagrin
Les pampres dont ſa teſte eſt toûjours couronnée,
Et maudira la fatale journée
Où pour le lait vous quittaſtes le vin.
Les Lys, dont le lait ſeul rend la couleur ſi belle
En ſeront arroſez pour la ſeconde fois ;
Et nous admirerons une fraiſcheur nouvelle
Sur ces illuſtres fleurs de l'Emp re François.
Et toy que le deſtin reſervoit à la gloire
De nourrir un Heros ſi grand,
Si d'une immortelle memoire
Je ſuis un aſſez bon garant :
Geniſſe mille fois heureuſe
Tu peux bien t'en fier à moy,
Qu'Io cette Io ſi fameuſe,
Quoy qu'en ait publié la Grece fabuleuſe
Ne l'emportera point ſur toy.
Il eſt vray que de fille elle devint geniſſe,
De geniſſe Déeſſe, & qu'au pied des Autels
Tout un peuple attend d'elle un ſeul regard propice,
Et qu'il ſuffit qu'elle mugiſſe,
Pour rendre un oracle aux mortels.
Mais laiſſe lui ces foibles avantages ;
Oüi, tes deſtins ſeront encor plus beaux,
Et tu tiendras ton rang dans ces grands pâturages
Que rempliſſent au Ciel cent nobles animaux.

Là par un doux hymen tu te verras unie
Au celeſte Taureau digne de tes amours ;
Et vous viendrez tous deux de compagnie
Nous amener nos plus beaux jours.
Cependant repais-toy plus qu'à ton ordinaire,
Choiſi la meilleure herbe & la plus ſalutaire ;
D'un illuſtre Heros tu répons aujourd'huy ;
Conſerve-nous long-temps cette valeur ſuprême
Dont nous faiſons noſtre plus ferme appuy :
Et ſçaches que tu dois avoir ſoin de toy-même,
Pour avoir plus de ſoin de luy.
Empêche que CONDE' *n'aille de trop bonne heure*
Par le chemin de lait prendre ſa place aux Cieux :
Encor que ſon grand cœur vole à cette demeure,
Le plus tard ce ſera le mieux.

DE FONTENELLE.

IN ZEPHYRUM.

Cujus violentiam & importunitatem ſumus experti, quum Lutetiâ Nannetas peteremus.

ODE.

TUnc ille amoris Zephyrus auriga & Joci ;
Veriſque alumnus & comes ?
Floram quotannis qui ſuo de funere
Tepente revocas halitu
Et mollia inter elicis ſuſpiria
Illius è ſinu roſas.

O fama nimium credula ! ô laudes feris
Male diſſidentes moribus !
Blandum relinque nomen : & felicibus
Omitte ventis inſeri.
Non æſtuoſi pervicax furor Noti
Tremente ſic ſævit polo.
Gelidóque ab axe mitius Boreas tonat,
Hiemes reducens hiſpidas.
Heu ! quanta terris, quanta vicino ingruit,
Te flante, tempeſtas mari !
Quaſſæ profundo gurgite feruntur rates,
Portúſque naufragium timent.
Stupet ipſe, jam commiſtus Oceano, Liger
Actis retro ire fluctibus.
Nec, turbulentis motibus, mundi ſat eſt
Pacem, atque leges ſolvere.
Nimbi ſequuntur æquore infuſo graves,
Cœloque diluviem invehunt.
Vidi ipſe vidi; menſque vix adhuc metu
Vacat, pericli conſcia :
Quùm lapſi ab alto montium cacumine,
Per ſaxa Torrentes ſcabrum,
Sibi vi cavarent limitem : & ſpumantibus
Undis in ima vallium,
Magno fragore conciti decurrerent,
Equiteſque raperent ac equos.
Quàm penè ſubitis obrutus paludibus
Lethæa vidi flumina !
Et tot malorum cauſa conſecrabitur,
Zephyrúſque ſe junget Deis ?
Non ſic abibit; quamque grande ſit nefas,
Læſiſſe Vatem, ſentiet.
Ergo ſceleſte, ſi quid Æolum preces,
Vel noſtra tangent carmina :
Pennis revulſis, horridâ incluſus ſpecu,
Ac montis oppreſſus jugo,

Nequicquam amorum, teneræ & uxoris memor,
Triſti ingemiſces murmure.
Exire nec licebit, ira ni Jovis,
Ab impiis mortalibus
Inuſitatas exigat pœnas, ſuo
Et diriores Fulmine.

AD R. P. COMMIRIUM,

Qui de Zephyri violentia, cùm ad novos Catholicos miſſus, Nannetas peteret, conqueſtus erat,

ZEPHYRI EXPOSTULATIO.

ODE.

ADeóne vatem ſubitus invaſit furor,
Ut numen incuſet meum,
Et me vocari jam Favonium neget,
Trucibúſque ventis inſerat?
Cur me eleganti carmine innocuum petis?
Heu! carmen Æolus tuum
Audivit, & nunc horridis Zephyrum locis
Tenuiſſet incluſum diu,
Ni ſciret hujus me eſſe purum criminis,
Quod perperam exprobras mihi.
Quem ſæviorem expertus es Boreâ & noto,
Ah! Zephyrus ille non fuit.
Zephyri ora, vultum ſumere eſt auſus ſibi,
Sed Zephyrus ille non erat.

Tantúmne Floræ ſponſus auderet nefas,
Amoris & joci comes?
An furere vatis poſſit in ſacrum caput,
Cui pulchra vatum carmina
Fecere nomen, nubis & vacuos canunt
Vernóſque deberi dies?
Mihi crede, ventus aliquis è turbantibus
Inviſa cocyti vada
In te procellam movit, & malè concitis
Tentavit undis mergere:
Hunc excitarat cæca turbarum Dea,
Et triſtis erronum parens,
Irata, bellum quod ſuo indicas gregi
Legémque divinam feras.
Placatus ergo deſine irarum, & mihi
Ne nomen invideas meum:
Dic mitioris temporis potiùs patrem,
Amoribus natum & jocis.
Injurioſa ſin adhuc convitia
Zephyro immerenti feceris;
Fruſtrà querelas triſtis ingemines, tuus
Abibit in ventos furor.

AD EUNDEM ZEPHYRUM

PALINODIA

Quùm Illuſtriſſimus Dux de CHAULNES Armoricæ Præfectus, Nannetis Lutetiam migraret.

PAx & amor redeant; genus eſt placabile vatum;
Quæ dolor extuderat carmina, damno libens.
At, Zephyre, in leges priùs has jurare neceſſe eſt
Queis ſine, rupta manent fœdera, rupta fides.
Regalem longo poſt tempore CHAUNIUS aulam,
Quo, Magni revocant juſſa favórque, petit.
Illum ſi ſequeris flatu Comiteſque ſecundo,
Si tutam præſtas purus ab imbre viam:
Tum tibi nec cœci metuatur cerceris horror,
Et Floræ optato detur amore frui.

IN BOREAM.

IRam ergo noſtram tu quoque & convitia,
Borea, mereri diſcupis?
Suumque Zephyro facinus, æterni probri
Pretioſus emtor, invides?
Explebo votum magna dicendi eſt ſeges
Tua ordienti crimina.
Nam quis tyrannum neſcit & terræ & maris,
Sævumque patrem turbinum?
Naufragia quem ſequuntur, & miſta urbium
Cum ſtrage ruris vaſtitas.
Te Flora deteſtatur obſcœno querens
Decus omne fœdari halitu.
Horrentque vitreum Naiades vinctæ pedem
Amneſque capti fluctibus
Nil fingo vates: ipſe nec tibi negas
Leviora veris objici.
Offenſa quæ ſi Muſa graviori ſtilo,
Incipiet olim ſcribere:
Proh! quanta ſeclis poſteris infamia
Tuo allinetur nomini!

NATALES NOVI ANNI.

PRoſes aurea ſiderum,
Sæcli principium novi,
Quem natura diu petit
Rebus præſidium ſuis!
O Anne! quid moraris?
Anne novelle veni.

Febre languidos December
Jam ſenex artus tremit,
Intimiſque ſub medullis
Horrido riget gelu.
O Anne! quid moraris?
Anne novelle veni.

Jam tuſſi gravidum maſe
Crebrâ concutitur latus.
Jam fluxæ capitis nives
In ſudorem abeunt putrem:
O Anne! quid moraris?
Anne novelle veni.

Igne fruſtra culcitriſque
Plumeis corpuſculum
Et meraciore certat
Recreare poculo.
O Anne! quid moraris?
Anne novelle veni.

Vix ah! vix animam miſer
Extremis retinens labris

Mœſto ducit anhelitu :
Actum eſt : ilicet occidit.
O Anne ! quid moraris ?
Anne novelle veni.

Euge partu virginali
Aureum lucis genus
Patre Sole digna proles
Matris è Lunæ ſinu,
En novus Annus adeſt ;
Adeſt novellus Annus.

ODE

INSCRIPTA TABELLIS

R. P. Ludovici Cellotii è Societate Jesu, cum varia S. J. Collegia luſtraturus Pariſiis diſcederet.

TAbella felix ! non quod artifici manu,
Scabroque raſa pumice,
Teſtudo dives leve maculoſa latus
Utrinque teſta protegit.
Non quod polito dente Lucanæ bovis
Superba candet pagina,
Nulla & moratur præpetem ruga ſtylum,
Glacie Batavâ terſior.
Non fuſili quod clavus argento rigens
Vagos maritat vertices ;

Aut aſpra ſignis fibula decenti jugo
Indas ſorores continet.
Sed quod laborum te feret Cellotius
Longæque ſolamen viæ.
Illum & ſequendos tramites, hermes novus,
Nota docebis indice:
Et uſitatæ tempora ac leges moræ,
Quid quoque curandum loco,
Quæ damna ſerpant, & citam poſcant opem,
Certo explicabis ordine:
Sed enim memento, ſi quod arcanum tuo
Latere cupiet in ſinu,
Depoſitum ut alto comprimas ſilentio,
Uni loquax, muta omnibus.
Non publicandam ſive rem deletili
Inducere volet ſpongia,
Cave ſuſpicaces imbuant ebori notas
Male fugientes litteræ.
Quodcumque tandem poſcet, officij tenax,
Operam fidelem commoda.
Verum (ſed abſit omini pondus ſuo,
Falſuſque vates audiam:)
Si forte quondam dura non æquus mihi
Fata meditetur ſcribere:
Tunc ô herilem, tunc licet fallas manum,
Styloque pugnes improbo;
Et gerere pœnæ carmen infauſtum meæ,
Pie infidelis, abnuas.

FLORES

AD CUNAS DELPHINI.

CArdine ab occiduo procul, & florentibus oris,
Quo ſævas metuens hyemes, Boreæque furorem
Exul odoratâ ſeſe cum gente quotannis
Ver recipit: toto delecti ex ordine flores
Te, Delphine, adeunt Zephyri portantibus alis,
Mirantes terram algenti tepuiſſe ſub aſtro,
Aprilemque ſuum medio regnare Novembri.
Scilicet antiquus naturæ vertitur ordo
Te naſcente, Puer, tempeſtatumque poteſtas
In melius mutata, tuiſque obnoxia votis
Clementi frigus patitur miteſcere cælo:
Adque ſuos te gaudet hyems componere mores.
Omnibus idem amor eſt, te florum agnoſcere Regem
Tutelamque tibi hortorum, tituloſque beati
Mandare imperii ſtudiis communibus optant.
Nam cur ſola ferant hunc tantum lilia honorem
Solaque regales mereantur cingere cunas?

IN NUPTIAS
SERENISSIMI
DELPHINI.

Regia progenies, ſi te decora alta parentis
Mirantem, & ſimiles audentem optare triumphos,
Exſtimulat virtus juvenili in pectore fixa,
Ne diffide animo: Tibi fœdere pacta jugali
Danubii venit à ripis, myrtoque revinctos
In dotem, Delphine, affert victoria lauros.
Rex illam genitor, belloque & pace petitam,
Auſpiciis propriam tibi donat habere ſecundis,
Inſigne ad geminos bellique & pacis honores
Præſidium. Quid enim tua mox non vincere dextra
Illiuſque oculi poteruntſ? Quocumque ſub axe
Bella geres, ſeu ſors dederit, ſeu legeris hoſtem,

EPISTOLA

EXTEMPORANEA

AD AMICUM.

HEſternâ me luce tuas, dulciſſime, in ædes
Contuleram, fore confidens ut libera nactus
Otia, te longo facilis ſermone fruendum
Præberes, cujus tam rarò oblata facultas.
Attuleram & natos feſta inter gaudia verſus,
Queis pretium ſua materies, ut cætera deſint,
Conciliant, quemque ars non contulit, addit honorem.
Sed ſpes vana fuit. nam ſors illuſtre tenebat
Te Nympharum agmen; quod nos retrò ire coegit
Triſtes & curis animum pungentibus ægros.
Ut malè ſit Nymphis iſtis! quæ gaudia noſtra
Præcepere, quibus cupido caruiſſe moleſtum eſt:
Sed niſi me Muſæ fallunt atque augur Apollo
Fœnore cum magno damnum reparare licebit
Ocyùs illatum; modò ne ſit verſa voluntas,
Aut te nulla mei capiant faſtidia amoris.
Ergo veni; aut quo ſim venturus tempore, mandes,
Nam ſine te, letho vita eſt mihi triſtior ipſo.
Interea valeas, & ſorte utare ſecundâ.

AD CLARISSIMUM VIRUM
D. BOURDELOT
SERENISSIMI PRINCIPIS
CONDÆI MEDICUM.

Nam quid vis tibi, quæſo, Burdelotte,
Qui ſanas alios ſatiſne mente
Ipſe ſanus es, ut tuis polentis
Tuo & lacte mero, & tuâ diætâ
Speres militiæ labore feſſum
Magni Borbonidæ fovere corpus?
Jubes lautitiis cupediiſque
Et dono lepidi abſtinere Bacchi;
Heu vitam medicam & nimis ſeveram!
Hoc Pæan vetat, hoc docet Machaon,
Et Cous pater & ſenex Galænus?
Non his indomitum fovebat olim
Trojæ in perniciem Hectoriſque funus
Chiron Phyllirides cibis Achillem.

DELIQUIUM LUNÆ.

OLenides Damon Alni frondentis in umbrâ
Iridis infeſtos Nymphæ cantabat amores
Vicinum retinens cantus dulcedine flumen:
Quem Chromis admirans ſimul audiit, & ſimul imo
Deſuetam ſenſit ſub pectore gliſcere flammam;
Oeſtríque impatiens, fas ſit mihi munere veſtro
Pierides, inquit, cæleſtia viſere templa:
Defectus Lunæ juvat erroreſque tueri,
Tantorum & propiùs cauſam explorare laborum:
Forſitan hoc fuerit ſævi quoque crimen Amoris.
Nam neque tortilibus ſpiris, quod anilia fingunt
Somnia, correptam ſorbet Draco; nec maga bigis
Murmure ferali deſcendere Theſſala cogit.
Parcite ſollicitæ cava tympana tundere gentes.
Hei mihi! tunſa ferum non mulcent tympana amorē.
Ille onerat gravibus curis mortalia corda:
Aſtrorum ille etiam curſus & lumina turbat.
Incipiam. Pronas noſtris date vocibus aures
Vos arcana quibus vatum myſteria curæ.
Luna recens emerſa chao & natalibus umbris
Ut primùm ſolem aſpexit, ſparſamque decorâ
Luce comam, & rutilas auro gemmíſque quadrigas,
Protinus exarſit: placito nec reſtitit igni.
Eſt ſoror: an quiſquam fraterno ardere ſororem
Igne vetet, lux materiam cui caſta miniſtrat,
Et pietas vires? Ergo rude pectus amori
Sponte ſuâ blandis præbet Dea figere telis,
Miratur Phœbum, nec ſe declinat ab illo,
Sed quo plus inhians cernit, plus cernere gaudet;
Námque placet ſolus: ſoli placitura viciſſim
Componit faciem, crinéſque & candida colla

Præcingit radiis : ſoli vult pulchra videri.
Nec nulla interea eſt dilecti gratia fratris ,
Ipſe etiam ſimilem nutrit ſub pectore flammam ,
Hanc & blanditiis & crebro munere prodit,
Imperii ſociam facit , & partitur honores ,
Stellatas dat inire domos , dat ducere Olympo
Sydera ; cúmque diem noſtro aureus invehit orbi ,
Illa alium luſtrat curru , pellitque tenebras.
Sorte ſuâ felix , ſi , triſti cuncta veneno
Qui vitiat , ſineret felicem vivere Livor.
Ducenti de more choros ſub nocte ſerenâ
Lampyrie comitum fidiſſima fertur in aurem
Increpitans dixiſſe : tuos prædatur amores ,
Et , te poſthabitâ , Phœbum tenet æmula tellus :
Hactenus , & tacuit telo inter verba relicto.
Palluit audito Telluris nomine Luna ,
Et quanquam genus & formæ fiducia ſuadent
Spernere rivalem , metuit tamen omnia amantis
Credulitas quidvis damna in ſua fingere ſolers,

CONDÆUS

APRI VENATOR.

BOrbonides bellum meditatur, & arma Dianæ,
Quando vacant Martis caſtra, movere parat.
Cantilii reſonant rauco luſtra avia cornu,
Venantumque feras undique terror agit.
Ecqua perire tuo CONDÆE merebitur ictu
Bellua? Cui pulchræ gloria mortis erit?
Hoc tantum ſibi poſcit Aper decus. Aſpice ut ultro
Denſa per impavidus tela caneſque ruat!
Aſperet ut rigidas, hirſuto tergore ſetas,
Et rabido horrendum ſpumeus ore fremat!
Nempe tua dignus dextra cupit ille videri.
Si foret imbellis, deſpiciendus erat.

CONDÆUS

APRI DATOR.

ILle canum timor ac peſtis, CONDÆE, tuorum,
Et rapido dentis fulmine notus Aper;
Non prius in Clari ſubiit faſtigia Montis,
Quam ſenſit mores dedidiciſſe ſuos.
Nam neque jam furias grunnitu exercet acuto,
Nec torvo ſpirat ſpumeus ore neces.
Sed cicur, & placidus, mitique ſimillimus Agno
Innocuo fertur, quâ libet ire, pede

Nec tergi refugit, puroque in fonte lavari,
Nec radi doctâ labra genaſque manu.
Quin etiam viridi præcinctus tempora lauro,
Et grato florum ſparſus odore caput,
Infert ſe menſis, & per cœnacula currens,
Dat nobis ludum, deliciaſque facit.
Hæc Apri tibi cum refero miracula, Princeps;
Me dubiæ fidei forſitan eſſe putas.
Alter ſed veniat. Non ſtabit monte ſub iſto
Quin ſe continuo neſciat eſſe ferum.

EPISTOLA
EXTEMPORALIS.

Mitto tibi varios, agreſtia munera, flores,
In quibus ipſe meū poteris cognoſcere amorem,
Si tamen ulla mei tangunt te munera amoris:
Pallidulum calthæ crinem, molleſque hyacinthos,
Narciſſumq; Roſamq; Immortalemq; Amaranthum,
Quæque nives puro primas candore laceſſunt
Lilia, quæque micant fulvo cognata metallo.
His teneras myrti frondes, & jam tibi ſacræ
Daphnidis inſerui decerptum ex arbore ramum.
Quæ tu, Jane, animo (quoniam explorata voluntas)
Sume hilari: neque enim nobis niſi vota ſuperſunt,
Carminaque & flores. Sed & hæc quoque numina mulcent.
Et Deus ipſe coli minimo ſe munere gaudet.

AD EXCELLENTISSIMUM ECCLESIÆ PRINCIPEM DANIELEM MARCUM DELFINUM SUMMI PONTIFICIS IN GALLIA NUNTIUM.

CAntanti æquoreos fratris, DELPHINE, triumphos
Increpitans aurem vellit Apollo mihi:
Ergo, inquit, tibi bellator celebrabitur Heros,
Pacificus nullo carmine dictus erit?
Quóſque arcto conjunxit amor naturáque nexu
Verſibus his licuit non ſociare tuis?
Pœniteat facti: Et chartis mandare memento
Fratribus egregiis quæ cano facta Deus.
Ambo pares virtute, pari ambo laude ferentur.
Hic terris leges, ille dediſſe mari.

HOLLANDIÆ DEFICIENTIS SUSPIRIA, ET SUPREMÆ VOCES.

ILla ego ſum toto celebrata Batavia mundo,
Vincere docta ſolo, vincere docta mari.
Mars mihi Civilis pater eſt, Diſcordia mater;
Hæreſis in gremio fovit alumna ſuo.
Auxit fœnus opes & amor veſanus habendi,
Et fraus lucrorum quæ ſolet eſſe comes.
Perfidia in ſocios, meritorum oblivia, Regum
Contemptus, Juris vis dominata loco,
Majeſtas irriſa, ſuiſque è ſedibus acta
Relligio, atque exul cum pietate fides;
Hæc decora, hæc noſtri ſunt nempe inſignia Regni:
Et potui ultorem non metuiſſe Deum?
At non, ſera licet, tamen uſquam pœna nocentes
Præterit. exemplis credite ſecla meis.
Paſſa ignes, ferrumque hoſtile, ſitimque famemque
Non ſum pro meritis viſa piaſſe nefas.
Diluvium pœnis deerat: Letalibus undis
Obruor, heu! propriâ naufraga facta manu.
Jam ſatis eſt, Superi; pœnas conſumpſimus omnes:
Quod ſuperat funus, muneris inſtar erit.

Le même en François.

C'Eſt moy qui ſuis, helas ! cette illuſtre Hollande,
Petite en territoire, en pouvoir vaſte & grande,
Dont le nom eſt celebre en cent climats divers,
Et qui voulois donner des loix à l'Univers.
Parfaitement inſtruite au métier de la guerre,
Toûjours victorieuſe, & ſur mer & ſur terre,
Je fus le digne enfant d'un peuple revolté,
Dont la ſedition fonda l'authorité.
Je fus par l'Hereſie avec ſoin allaitée,
Et de ſon noir poiſon juſqu'aux os infectée.
L'avarice auſſi-tôt s'empara de mon cœur,
L'infame ſoif de l'or y jetta ſon ardeur,
Et, mettant en uſage, & la fraude & l'uſure,
J'amaſſay des treſors ſans garder de meſure.
Mais apprenez ſur quoy mon trône j'établis,
Et de quels ornemens mon ſceptre j'enrichis.
Tromper mes alliés fut toute mon étude,
Pour tous mes Protecteurs j'eus de l'ingratitude ;
Je me remplis le cœur de mépris pour les Rois ;
La violence fut & mon droit & mes loix ;
Je bannis Pieté, Religion, Croyance,
Sans redouter du Ciel la trop juſte vengeance.
Mais tôt ou tard le Maître Souverain
Sur le coupable étend ſa redoutable main.
J'en ſers, pour mon malheur, d'exemple bien funeſte ;
Helas ! j'ay tout perdu, la ſeule voix me reſte.
Le feu, la ſoif, la faim, & le fer ennemy,
Ne puniſſoient encor mes crimes qu'à demy !
Ce n'étoit pas aſſez de me voir ſans refuge,
Si l'on ne m'accabloit par un triſte deluge ;

Mais j'ay moy-même ouvert le paſſage à ſes eaux.,
Pour fruſtrer mon VAINQUEUR *du fruit de ſes travaux.*
Divine Majeſté, que tout le monde adore,
Pouvez-vous inventer quelque ſupplice encore?
Non; j'ay tout éprouvé; Que reſte-t-il? la mort;
Par grace, je l'attens dans un ſi triſte ſort.

M. P.

Epitaphium ejuſdem Bataviæ.

MArs vitam dederat, regnum Neptunus aquarum,
Mercurius ſummas conciliarat opes.
Offenſi SOLIS perierunt cuncta furore:
Quippe NEC eſt IMPAR PLURIBUS ille Deis.

IN REGEM DE BATAVIS TRIUMPHANTEM EPIGRAMMA.

OMnia ſors facilis LODOICI vota ſecundat;
Et cœptum ad laudem nil remoratur iter.
Quaſque alius decimo vix menſe ſubegerit urbes,
Ille uno gaudet perdomuiſſe die.
Nempe illi, Natura uno ſub corpore donat
Multorum vires cordaque ferre ducum.

EPITAPHE

De la Hollande, traduite en François.

De Mars j'avois reçû la vie,
De Neptune le don de regner ſur les eaux ;
Mercure avoit rendu ma Banque bien garnie
Des plus deſirés des métaux.
Le SOLEIL *offenſé, dans ſa juſte colere,*
Me ravit aujourd'huy tant de biens precieux ;
Mais on ne s'en étonne guere ;
Car il eſt plus puiſſant luy ſeul que mille Dieux.

M. P.

EPIGRAMME

SUR LES VICTOIRES DU ROY.

A LOUIS *rien n'eſt difficile,*
En un jour il prend telle Ville
Que tel ne peut prendre en dix mois ;
Mais faut-il que l'on s'en étonne ?
Le Ciel a mis en ſa Perſonne
La valeur de plus de dix Rois.

M. P.

Muſa ad Regem.

SIſte gradum, nimium properas, RAPIDISSIME
VICTOR,
Nec te jam potis eſt feſſus Apollo ſequi.
Tot Lauri Palmæque, & juncta tropæa tropæis
Non tardant curſus, ô LODOICE, tuos!
Siſte gradum, dextræque aliquam concede quietem:
Reſpirare Chorus noſter ut ipſe queat.

ALIUD.

FLos ille Regum, nemo quo decentius
Solio reſedit Galliæ:
Extemporalis cum Poëtas cerneret
Appetere laudem Carminis;
Extemporalis auctor ipſe factus eſt
Et artifex Victoriæ:
Citiuſque, quam quod cœperant vates opus,
LODOICUS abſolvit ſuum.

Aliud ad Regem.

PAlmarum fama inſignis LODOICE tuarum,
Jam penè Heroas reddidit indecores.
His pretioſa fuit, magno & victoria conſtans:
At ludus Batavos edomuiſſe tibi eſt.
Heroum monumenta tuis qui conferet actis
Illos eſſe homines, te feret eſſe Deum.

Autre Epigramme.

Les Muſes au Roy, ſur la promptitude de ſes Conqueſtes.

LOUIS, ralentiſſez vos pas,
Autrement nous ne pouvons pas
Vous ſuivre partout dans la Plaine;
De vaincre n'êtes vous point las?
Laiſſez repoſer voſtre Bras,
Pour nous laiſſer reprendre haleine.

Autre, ſur le même ſujet.

LOUIS plus digne du Trône
Qu'aucun Roy que l'on ait vû,
Enſeigne l'Art à Bellone
De faire des Impromptu;
C'eſt une choſe facile
Aux Diſciples d'Apollon;
Mais ce CONQUERANT *habile*
A plûtoſt pris une Ville
Qu'ils n'ont fait une chanſon.

Autre Epigramme au Roy ſur le même ſujet.

PAr vos faits dont le bruit vole juſques aux Cieux,
LOUIS, vous terniſſez & l'éclat & la gloire
Des Heros & des Demy-Dieux
Les plus celebres dans l'Hiſtoire.
Vos Conqueſtes ſemblent un jeu,
Tant elles vous ont coûté peu;
Mais cela n'eſt point ſans myſtere;
On ſçait ce qu'un mortel peut faire.
Ha! ſi vous n'êtes point un Dieu,
GRAND MONARQUE, *il ne s'en faut guere.*

SOL ET RANÆ.

FABULA.

RAnæ paludis incolæ, ambiguum genus
Limoque cretum, res in immenſum ſuas
Favore Solis auxerant: & jam boves,
Vicina circum quæ tondebant gramina,
Ipſaſque ripis pepulerant metu feras.
Quin ſe profundo credere auſæ gurgiti,
Facto ſiluros atque thynnos agmine,
Et provocarant ſæpe & ſæpe vicerant.
Hinc faſtus illas cepit & ſuperbia,
Majuſque crimen, gratiarum oblivio.
Patroni Solis invidere gloriæ
Ingrata gens occœpit, ac liventibus
Oculis tueri Mundo adoratum jubar,
Nec ſe protervis abſtinent convitiis;
Nam ſive ad INDI littora obvertit rotas,
Equos IBERO ſive lavit flumine,
Sive arduam LEONIS aſcendit domum,
LUNÆ-ve radiis cornua offudit ſuis;
Ranæ coaxant, & clamore incondito
Queruntur omnia perdere: ultrices ſimul
Minantur iras, ni STET immotus Polo.
Pergenti terras flammeo non ſegnius
Luſtrare curru, perfidæ tentant viam
Obſtruere. Fundo ab imo, cœnoſos lacus,
Ulvaſque putres & ſolo reſides aquas,
Pedibus petulcis commovent: Cœlo vapor
Conſurgit ater, & diem caligine

TRADUCTION.

LEs Filles du limon tiroient du Roy des Aſtres
Aſſiſtance & protection;
Guerre ny pauvreté ny ſemblables deſaſtres
Ne pouvoient approcher de cette Nation.
Elle faiſoit valoir en cent lieux ſon empire.
Les Reynes des Etangs, Grenoüilles veux-je dire,
(Car que coûte-t-il d'appeller
Les choſes par noms honorables?)
Contre leur bienfaicteur oſerent cabaler,
Et devinrent inſupportables.
L'imprudence, l'orgueil, & l'oubli des bienfaits,
Enfans de la bonne fortune,
Firent bientôt crier cette troupe importune;
On ne pouvoit dormir en paix;
Si l'on eût crû leur murmure,
Elles auroient par leurs cris
Soulevé grands & petits
Contre l'œil de la Nature.
Le Soleil, à leur dire, alloit tout conſumer,
Il falloit promptement s'armer
Et lever des troupes puiſſantes.
Auſſi-tôt qu'il faiſoit un pas,
Ambaſſades Croaſſantes
Alloient dans tous les Etats.
A les oüir, tout le monde,
Toute la machine ronde,
Rouloit ſur les intereſts
De quatre méchants mareſts.
Cette plainte temeraire
Dure toûjours; & pourtant
Grenoüilles devroient ſe taire,
Et ne murmurer pas tant:

Turbat ſerenum. Riſit Aſtrorum parens,
Et iſta veſtrum tela recident in caput,
Procaces, inquit, beſtiæ. Ergo colligit
Quos diſſiparat radios; inque fulmina
Nigros vapores, inque denſam grandinem
Momento vertit, & miſeras triſti opprimit
Ranas procellâ. Fruſtra juncis corpora
Certant opacis tegere; fruſtra ſub luto
Defoſſæ, ſperant publicæ ſtragi eripi.
Sol rapidus haurit cuncta, & ipſas ignibus
Abſumit undas. Ranæ ſemiuſtæ crepant,
Milviſque & corvis dulce præbent pabulum.
Quarum una fertur cæteris conſultior
Dixiſſe moriens; jure pœnam exolvimus,
Quæ pro benefactis ſola reddidimus mala.
At vos, Nepotes, diſcite vereri Deos.

Car ſi le Soleil ſe pique
Il le leur fera ſentir.
La Republique aquatique
Pourroit bien s'en repentir.

DE LA FONTAINE.

AUTRE TRADUCTION.

DEs Grenoüilles dans un Marais,
De noir limon & de fange nourries,
Vouloient ſe rendre un jour Arbitres de la Paix,
Entre les Habitans des voiſines Prairies;
Et táchoient d'éloigner de leurs canaux bourbeux,
Les plus puiſſans Troupeaux de Bœufs.
Leur temeraire audace eſtoit encore allée
Juſqu'à vouloir nager en Eau ſalée;
Et ſans crainte des hameçons,
Courant de bout en bout ſur les Plaines humides,
S'imaginoient que leurs goſiers avides
Avaleroient la Mer & les Poiſſons.
Le comble de leur inſolence,
Fut de prétendre arreſter le Soleil
Dans ſon plus pompeux appareil;
Ne ſe ſouvenant plus que ſa douce influence,
Donnoit à leurs corps impuiſſans
L'accroiſſement & la naiſſance,
Et par des cris étourdiſſans,
Importuns, enroüés, & par fois menaçans,
Se plaignoient ſottement, de ce qu'en ſa carriere,
Il avoit trop d'ardeur, d'éclat & de lumiere.
Pour ſe parer donc de ſes feux,
Et pour leur oppoſer une forte barriere,
Elles foüillent juſqu'aux plus creux
De leur pays marécageux:
Et de leurs ſales eaux troublées,
Font ſortir des vapeurs de terre & d'eau meſlées,

Qui portent dans les airs mille atômes volans ;
Croyant par un épais nuage ;
De l'obſcurcir & fermer le paſſage
A ſes rayons les plus étincelans.
Mais le Dieu ſoûriant de cette folle guerre ,
Tous vos traits , leur dit-il , vont retomber ſur vous ;
Auſſi-tôt animé d'un trop juſte courroux ,
De ces noires vapeurs il forme ſon tonnerre ,
En greſle il épaiſſit les airs ;
Il fait partir la foudre au milieu des éclairs ,
Et fait tomber ſur ces coupables teſtes
La plus horrible des tempeſtes.
Les malheureuſes ſous les eaux ,
Dans la bourbe & ſous les roſeaux ,
Vont en vain chercher des aziles ;
Leurs Forts leur ſervent de cercueil ;
Ces fondemens de leur orgueil
Pour elles déſormais ſe trouvent inutiles.
Le Dieu dans peu de temps met leurs Marais à ſec ;
Et leur donne un dernier échec ,
Qui prépare une ample curée
Aux Corbeaux affamés de toute la Contrée.
On oüit , dit-on , à la mort ,
Ainſi ſe plaindre la plus prude :
On ne nous punit point à tort ,
Voilà le digne prix de noſtre ingratitude.
Apprenez , Peuple audacieux ,
Par noſtre perte à réverer les Dieux.

DE FURETIERE, Abbé de Chalivoy.

CONCORS DISCORDIA.

FABULA.

PAſtores olim graviter, in re non gravi,
Cum diſſiderent; omnis in partes duas
Pagus repente ſciſſus eſt. Jamque invicem
Seſe minaci dente ſtimulabant canes,
Furum & luporum non levi cum gaudio.
Pan ad tribunal, nil moratus, evocat;
Jubetque cauſam litigantes dicere.
Oratum utrimque eſt magna vi & facundia.
Tum deinde judex protulit ſententiam.
Et hos & illos poſcere æquum cenſeo.
Conſentientes mente, voce diſcrepant.

EQUUS LEONIS VICTOR.

SEntire virtus damna neſcit temporis.
Quique eſſe fortis deſiit, nunquam fuit.
Hoc vera dictum comprobat narratio.
Peragrabat urbes Galliæ ac provincias
Trahens Leonem Circulator aſperum,
Nutritioque non ſatis fidum ſuo.
Sed amor lucri pericla ridet omnia.
Is Gratiani [a] nobilem cognomine
Ingreſſus urbem, tympano pulſo allicit
Vocatque Cives ad novum ſpectaculum.
Veniunt frequentes: ſed veniſſe plurimos
Pœnituit, ore fremere cùm rauco ferum
Videre, dentes exerentem & falculas,
Torvoque pavidis comminantem lumine.
Quorum unus, valeat curioſitas, ait,
Pretioſa nimium. Temere tanti non emo.
Simulque celeri ſe dat in fugam gradu.
At neſcius trepidare [b] LESDIGUERIUS,
Nam & ipſe in urbem, martio Ducum agmine
Procerumque cinctus, fòrs è caſtris venerat;
Taurum Leoni congredi velit trucem,
Urſumve, Tigridemve, vel ſi quid parit
Fecunda monſtris Africa violentius,

[a] Grenoble.

[b] Le Conneſtable de Leſdiguiere.

Hoc potius oculos imperator maximus,
Virique fortes recreent ſpectaculo.
Fruſtra requiris belluæ longè parem,
Corona procerum clamat; in ſtabulis habes
Qui ferrum & ignes non timet laceſſere.
Equus Leoni certet, ac laudem ferat
Vincendo, morte vel cadendo nobili.
Aſſenſit Heros, deque ſonipedum grege,
Patre ſatum Ibero, matre Maurâ Phoſphoron
Periculoſo deſtinat certamini.
Dorſo ille dominum, quamdiu juveni igneus
Sufficit animis ſpiritum æqualem vigor,
In bella tulerat, & domum victricibus
Lauris onuſtum centies revexerat.
Tunc grandis ævo, & frena deſuetus pati,
Aperta liber circumibat paſcua.
Adeſt vocatus: & manum gaudens heri
Tetigiſſe, lætis perſonanſque hinnitibus,
In ſepta pugnæ præparata ducitur.
Vinclis ſolutus inde laxatur Leo;
Rabidus opimam qui ſpe prædam devorans,
Quaſſis comantes ſubrigit toris jubas,
Caudæque crebro flammat iram verbere.
At bellicoſus hoſte viſo Quadrupes,
Olim probatæ fortitudinis memor,
Cervice pronâ, pedéque ſuſpenſo minax,
Frendenſque reſtat. Jamque vicino, & gravi
Retrò inſilire terga properanti impetu,
Rumpit ſub oculis calce ferratâ caput:
Suo & natantem ſanguine ſternit ſolo.
Fit plauſus ingens. Flore victor Phoſphorus
Redimitus urbis ducitur per compita:
Dominique ab ore meruit hoc præconium.
Qui bella amavit junior, bellat ſenex.
Bucephali proles eſſe neſcit degener.

GALLUS,

FABULA.

Conſilia iniqua proſpero exitu carent,
Et ad perniciem ferme auctores devocant.
Criſta ſuperbus, unguibus & roſtro ferox,
Bello premebat Gallus agmen *a* Anserum
Qui ſe proterve ſibilis inceſſerant.
Exterminati campo fugere ad lacus,
Opem implorantes cum clangore flebili.
Adeſt *b* Leo feſtinus è vicinia
Sub pelle vulpis callide occultans jubam,
Si forte Gallum territet hac imagine.
Sed ſpe ſua deluſus, Anserum *c* Domos
Cuſtos futurus ſcilicet aſtu intercipit,
Atque miſerorum fruitur infortuniis.
Interea *d* Falco ſylvæ præpes arbiter,
Et qui rapacem pennis *e* Accipitrem refert
Montis *f* Cucullus incola, turmis undique
Collectis Avium ferre ſuppetias parant.
Cœpti auctor *g* Aquila, quæ ſibi volantum in greges
Jus arrogans tolerare neſcit æmulum:
Ingrata nec ſe meminit *h* exemptam neci
Galli opera ruptis queis hærebat retibus.

a Batavi. *b* Hiſpanus. *c* Trajectum ad Moſam, Breda, Sylva Ducis. *d* Brandeburgicus cujus inſigne gentilitium Falco ſive Aquila rubra.
e V. Aldrovandum Ornitholog. l. 5. c. 17.
f Monteculus Auſtriaci exercitus ductor. *g* Imperator.
h Bello Hungarico Galli egregie pro Imperatore contra Turcas pugnavere.

LE COQ,
FABLE.

UN injuſte deſſein reüſſit toûjours mal,
Et celuy qui l'oſe entreprendre,
N'a jamais ſujet d'en attendre
Qu'un ſuccés honteux & fatal.
C'eſt un petit Diſcours moral,
Que l'exemple ſuivant vous fera mieux comprendre.

✻

Un Coq qui pour la joûte étoit boüillant & chaud,
Avec ſon bec guerrier, & ſa creſte hautaine
Donnoit la chaſſe aux Oyſons comme il faut,
Race qui meritoit ſa haine,
Pour l'avoir avec luy pris ſur un ton trop haut.
Auſſi leur fit-il de la peine,
Car nuit & jour, ſoir & matin,
Il leur tailla tant de pratique,
Qu'enfin leur pauvre Republique
Se vit au bout de ſon latin.
Trouvant tout moyen inutile
A repouſſer le Coq qui les ſerroit de prés,
Ils creurent ſe faire un azile
Dans le fonds de certains Marais,

✻

Ergo per auras atra nubes *a* VULTURUM
Intenta prædæ fertur & inumbrat diem.
b MILVI ſequuntur natio famelica,
Et qua graſſantur cumque vaſtant omnia,
Implentque valles horrificis ſtridoribus.
It contra *c* SOLIS ALES imperteritus,
Ultroque ad pugnam cantibus hoſtes provocat.
Sed FALCO veritus bellatori incurrere,
Mitem in *d* COLUMBAM vertit omnes impetus.
e CYCNUMQUE vexat *f* ANSERIBUS gravem ſuis,
Quin & *g* LUSCINIUS *h* FONTIS ad caput ſacri
Dum cantat atque voce permulcet feras,
MILVORUM vix evaſit uncis unguibus,
Dulcem coactus peſſimo relinquere
Nidum *i* CUCULLO. Fraude non diu tamen
Frui raptores licuit. k SOCIORUM advolat
En GALLUS ultor, inque FALCONEM irruens
Roſtro *l* CRUENTAT & aſperis calcaribus,
m Plumiſque nudum PATRIO è *n* SALTU ejicit.
At Expugnator ille nidorum improbus,
Singultienti voce fortunam increpans
Demiſſis *o* alis æger clam ſe proripit.
Quem Lauri conſpicatus è ramo procul,
Luſcinius ſic jocoſo ludit carmine:
JAM CERTA VETERI *p* FABULÆ CONSTAT FIDES;
ABIT CUCULLUS ACCIPITER QUI VENERAT.

a Brandeburgenſes copiæ. *b* Milites exercitus Cæſarei. *c* Gallus Soli ſacer, unde à Martiali vocatur lucis Avis. *d* Elector Colonienſis. *e* Epiſcopus Monaſterienſis jam ſenior. *f* Cycnus Anſeres odit & infeſtat, Aldrovand. l 19. c. 16 *g* Epiſcopus Paderbornenſis ſuis & aliorum carminibus inclytus. *h* Paderborna idem eſt ac Paderæ fons. *i* Montecuculus Paderbornam invaſit. k Cycnus, Columba, Luſcinia, amici Gallo. *l* Alluditur ad Aquilam ſive Falconem Brandeburgici Purpureum. *m* Partem copiarum & impedimentorũ maximam amiſit. *n* Comitatu Marchiæ exutus. *o* Tenendo baſſe l'ali come il Cucco. *Arioſtus.* *p* Coccyx ex Accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans. *Plin. l.* 10. *c.* 3.

Averty

Averty de cette avanture,
Le Lyon leur voiſin en veut avoir ſa part.
Le fin-matois traveſtit ſa figure;
Et prend la peau d'un vieux Renard.
Il s'imaginoit qu'à ſa vûë
Le Coq alloit mourir de peur;
Mais auſſi-tôt la fourbe fut connuë,
Dont il enragea de bon cœur.
Il eſſaye un autre artifice.
Afin d'obliger les Oyſons,
(A ce qu'il dit) dans leurs Maiſons
Noſtre Lyon-Renard ſe gliſſe.
C'eſtoit pour les garder fort charitablement,
Car il ne faut penſer mal de perſonne,
On doit plutôt croire pieuſement
Qu'il avoit l'intention bonne.

Cette guerre fit bruit, & d'abord le Faucon;
Qui dans les bois faiſoit le maiſtre,
Et le Coucou ſon digne compagnon,
Trouverent à propos d'en eſtre.
Or ce Coucou faiſoit le fier:
A s'arreſter à ſon plumage,
(Je ne touche point au courage)
On l'eût pris pour un Eſprevier.
A tous les deux l'Aigle avoit mis en teſte
D'aller contre le Coq éprouver leur valeur.
L'ingratitude eſtoit honneſte,
D'oublier qu'autre-fois elle euſt eu la douleur
De ſuccomber ſous la fureur
D'une Lunatique tempeſte,
Sans le Coq ſon Liberateur.
Quoy qu'il en ſoit, pour ſon malheur
Ainſi que le Faucon, le Coucou fut ſi beſte
Qu'il crût l'Aigle, & s'en fit honneur.

Voicy donc en chemin de terribles Armées,
Faucons, Vautours, Coucous, Milans,
Pour le pillage trés-vaillans,
Et s'il en fut jamais, Nations affamées.
Mais l'Oiſeau du SOLEIL *les voit ſans s'émouvoir,*
Il ſe prépare à leur bien tenir teſte,
Et dreſſant fierement la creſte,
Chante pour les mieux recevoir.

Par une prudence nouvelle,
Noſtre Fierabras de Faucon
Voyant le Coq dans une humeur ſi belle,
Connut qu'à s'y joüer il ne feroit pas bon.
Il aima donc mieux n'en rien faire,
(En quoy je trouve qu'il fit bien)
Et tourna toute ſa colere
Sur le Pigeon qui ne ſongeoit à rien.
Il oſa même attaquer ce vieux Cygne,
Dont la valeur s'eſtoit renduë inſigne,
Et qui par beaucoup de raiſons
Eſtoit incommode aux Oyſons.

D'autre-coſté, tandis qu'au bord d'une Fontaine
Le Roſſignol ſe divertit,
Et que l'Echo redit à peine
Toutes les chanſons qu'il luy dit,
Les perfides Milans eurent preſque la joye
De l'attaquer, & d'en faire leur proye,
Et le Coucou, ſans faire de façon,
De ſon nid prit poſſeſſion.

Tous deux au jeu trouvoient ainſi leur compte,
Mais leur bonheur ne dura pas ;
Pour vanger ſes amis, le Coq vient à grands pas,
Il faut que chacun d'eux décente.
Il ſe jette ſur le Faucon,
Et commence, mais tout de bon,
A le mettre en bel équipage.
Comme il eſtoit fort animé,
Du bec, des ergots il fit rage,
Jamais Oiſeau ne ſe vit mieux plumé.
Le Faucon craignant que l'orage
N'allaſt ſi loin qu'il ne pût l'arreſter,
Crut qu'il falloit ſans conſulter
Au plus viſte plier bagage.
Il part en haſte de ces lieux,
Où regnoient autrefois ſes Peres ;
Quand il leur eut fait ſes adieux,
Le Coq y fit bien ſes affaires.

D'ailleurs ce grand Preneur de nids
Si celebre dans la Gazette,
Laiſſant celuy qu'il avoit pris,
Délogeoit auſſi ſans trompette.
Des Coucous ce fameux Heros,
Contre la Fortune ennemie
Chantoit une triſte Elegie,
Qu'il entrecoupoit de ſanglots ;
Preſſé d'une douleur mortelle,
Et de plumes à demy-nu,
Il ne batoit plus que d'une aiſle.
L'auroit-on jamais reconnu ?

Le Roſſignol penſa crever de rire,
Quand il le vit dans un eſtat ſi beau;
Mais pour égayer cet Oiſeau,
Qui tout malade ſe retire,
Perché ſur un Laurier, de ſon plus haut rameau
Il entonne cet Air nouveau,
Qu'il eſt à propos de vous dire.

Les Eſpreviers ſe changent en Coucous,
La choſe n'eſt que trop certaine,
Et grace à cet Oyſeau qui nous en inſtruit tous,
Maintenant je le croy ſans peine.
C'eſtoit un Eprevier alors que dans ces lieux,
Il vint faire le furieux;
Mais par ſa longue maladie
Il a depuis changé ſi fort,
Qu'il eſt Coucou lors qu'il en ſort,
La metamorphoſe eſt jolie,
Et finit bien la Comedie.

DE FONTENELLE.

ÆREA COLUMNA.

CUm vaſto Olympi feſſus Atlas pondere
Sibi laboris poſceret requiem dari:
Cœtu Deorum convocato Jupiter,
Annuere, dixit, æquitas ſeni jubet.
Subire ſed quis poterit hoc oneris, meus
Cui par ferendo vix fuit quondam Hercules?
Tuam iſta mentem cura ne turbet, Pater,
Maiâ creatus retulit, ærumnas Avi
Levare dudum cupidus. Elyſio ſimul

Cum Tauricello devocat Boylium :
Ambo repertis machinis prænobiles,
Ipſam ambo vi movere Tellurem pares.
Quis ore & oculis blandiens caducifer,
Nunc tempus, inquit, veſtra ſi quid Ars poteſt,
Si quid manus, probare. Subducto ruunt
Atlante cœli templa ni ſuccurritis.
Prohibere caſum vos decet. mortalium
Æterna laus ſit Aſtra ſervaſſe & Deos.
Illi ad laborem protinus ſe comparant,
Hilariq́ue juſtum fronte deſpondent opus.
Ergo ære cuſos fuſili ingentes tubos
Latis adacto follibus implent aëre.
Tundente preſſus qui piſtillo cogitur,
Et lymphæ ad inſtar aſpero aſtrictæ gelu
Immobilis ſtat, ingenii ſui immemor.
Res mira! apertis exeunt proplaſmatis
Grandes columnæ, mille quæ coloribus
Longe coruſcant. Iridas totidem putes
Solis refracta fulgere adverſi face.
Novi Archimedes has manu facili ferunt
Templiſque fulcra ſubjiciunt cœleſtibus
Infida nimium fulcra! Mercurius licet
Ea laudet, & gratetur inventoribus,
Ridente Momo; qui gravi oris ſpiritu
Subſtructionem ter quaterque evanidam
Sufflans, & ipſam ſubruit; ſævo & joco
Traxit malignus cum Jove in præceps Deos.
Hæc dicta ſunto Philoſophis juvenculis,
Qui placita veterum deſpuunt capti improbæ
Novitatis illecebris & dulcedine.
At levibus argumentis id demum obtinent,
Ut multa ſcire cum putent, ſciant nihil.
Doctrinæ inanis fulgor in ventos abit.

LEO PATRIS ULTOR.

FABULA.

AD SERENISSIMUM

DELPHINUM.

LEo Africanæ non levis plagæ timor,
Cùm ſanguinis pertæſus atque cædium,
Pacem dediſſet ultro victis hoſtibus,
Laudem æquitatis tulerat & clementiæ.
Ejuſque tuti ſub fide errabant greges:
Paſſimque pecudes dulce habebant otium.
Felicitatis ſed citò amentes ſuæ
Pœnituit. Ille cujus ad veſtigia
Feræ majores ſueverant tremiſcere,
Cujuſque paſtor fulgura horrebat Nomas;
Jam fractus animo viribuſque creditur.
Interpretantur lenitatem inertiam:
Et quod nocere nolit, poſſe pernegant.
Hinc coitiones, & ſecreta fœdera,
Et ſpes inuſtum obliterandi dedecus.
Torvùm renidet ad inopinam rem Leo:
Jubamque quaſſans, Diſcite, temerarii,
Periculoſæ quàm ſit, inquit, aleæ,
Noſtram quietem rumpere; ad bellum ſimul
Acuebat ungues. Cui Catulus haud degener,
Et par brevì futurus; Hunc me ſumere
Potiùs laborem, ni vetas, inquit, decet.
Hoſtem ſuperbum congrediens reddas, Pater.
Minor ira fuerit ejus in pœnam ſatis.

LE LION
QUI VENGE SON PERE.
FABLE
A MONSEIGNEUR
LE DAUPHIN.

Un Lion, la terreur des Libyques rivages
Pouvant, aprés mille ſuccés,
Avoir ſur l'ennemy de plus grands avantages,
Aima mieux luy donner la paix.
D'un repos, qui mettoit les champs en aſſurance,
Il luy fit goûter la douceur :
Et fut loüé pour ſa clemence,
Encor plus que pour ſa valeur.
Les tranquilles troupeaux voyoient finir leurs peines,
Et plus ſûrs ſous ſa foy que ſous l'œil du berger,
Ils erroient par les monts, ils erroient par les plaines,
Et ſans frayeur, & ſans danger.
Plus de tumulte, plus d'allarmes.
Mais, qui l'eût crû ? bientôt pour eux,
Un ſort ſi doux n'eut plus de charmes.
Ils ſe laſſerent d'eſtre heureux.
Ils oſent ſe flatter que ce Lion terrible,
Dont jadis le nom ſeul faiſoit trembler les bois,
N'eſt plus le grand & l'invincible,
N'eſt plus le Lion d'autrefois.

Aſſenſit auſis Rex ſylvarum fortibus,
In prole gaudens denuo juveneſcere.
Atque ille factis ſpe data majoribus
Patrem probavit. Quo fugacibus lupis
Ardore ludens inſtitit, Pardos, Tigres,
Urſos, Hyænas, non veretur aggredi.
Hos dente frangit, hos diſcerpit falculis,
Tonantis illos oris exanimat ſono.
Nil luſtra proſunt, nil ſolo infoſſæ ſpecus,
Altíſve cincta fluminibus cubilia.
Uſque adeo terror animos & fugam abſtulit.
Quæ cùm videret, plena Phœbi numine
Dixiſſe Cornix fertur: O ſtultum genus!
Dum geſtit iras unius laceſſere,
Cladem Leones in ſuam excivit duos.

Fabella quid demonſtret, auſpiciis Patris
LODOÏCUS alter, victor ad Rhenum, docet.

Tandis qu'il aime mieux leur ſalut que ſa gloire,
Et leur repos, qu'une ſoure victoire,
Ils s'imaginent les ingrats
Que s'il ne fond ſur eux, c'eſt qu'il ne le peut pas.
Toûjours fidelle à ſa promeſſe,
Il maintient la tranquillité.
Mais l'on impute à ſa foibleſſe
L'effet de ſa ſeule bonté.
Ainſi partout brigues ſecrettes.
Déja de l'accabler le deſſein eſt conçû;
Et l'on va reparer les pertes qu'on a faites;
Et l'affront que l'on a receu.
Voyant qu'à ſa gloire on attente,
Auſſi-tôt le Lion, plus Lion que jamais:
Ne penſe pas, troupe inſolente,
Que l'on trouble, dit-il, impunément ma paix.
Il partoit animé d'une noble colere;
Quand un jeune Lion, déja digne de luy:
Moy ſeul, dit-il, moy ſeul, mon Pere,
Je dois vous venger aujourd'huy,
Vous même punir leur malice,
Et contre de pareils rivaux,
Rentrer encore dans la lice,
C'eſt trop flatter l'orgueil de ces vains animaux.
Par un moindre ennemi leurs troupes combattuës,
N'éprouveront pas moins voſtre juſte courroux:
Elles auront l'affront, Seigneur, d'eſtre abbatuës,
Et n'auront pas l'honneur de l'eſtre par vos coups.
Le Lion reconnoît ſon ſang & ſa vaillance
Dans ce Lionceau belliqueux;
Se décharge ſur luy du ſoin de la vengeance.
Le jeune Combattant au comble de ſes vœux,
D'abord ſur l'Ennemi, comme un foudre, s'élance;
Et d'un Pere attentif à ſes premiers combats,
Imite la valeur, & paſſe l'eſperance:
Le danger & la mort ne l'intimident pas.

Cent fois contre les loups, & des beſtes vulgaires,
Il fit en ſe joüant éclater un beau feu.
Vaincre les Ours & les Pantheres,
Ce n'eſt encor pour luy qu'un jeu.
Sanglier, Leopard, Hyéne,
Et l'Elephant & le Griffon,
Tous ſont renverſez ſur l'aréne,
Tous dans le Lionceau retrouvent le Lion.
Il attache ſur l'un des griffes meurtrieres,
Dans le ſang d'un ſecond ſes dents vont ſe rougir,
Et pour glacer d'effroy les beſtes les plus fieres,
De loin même il n'a qu'à rugir.
Que ſert d'eſtre couvert par de vaſtes rivieres,
Et par d'impénétrables forts?
Il traverſe les eaux, il perce les tanieres,
Et rien n'échappe à ſes efforts.
Enfin quoi qu'il oſe entreprendre,
Sa valeur le ſçait achever.
Les plus forts contre luy ne peuvent ſe défendre,
Ni les plus lâches ſe ſauver.
Alors un Oiſeau de préſage,
Admirant ce jeune courage:
Allez, s'écria-t-il, encore cabaler,
Troupe inquiéte & témeraire,
D'un terrible Ennemi vous penſiez vous défaire,
En voilà deux à qui parler.

Un Heros jeune & redoutable
Explique le ſens de la Fable
Par ces prodiges inoüis,
Qui font au bord du Rhin voir un autre LOUIS.

L. GRAMAIN de la Compagnie
de JESUS.

AVTRE TRADVCTION.

VN Lion, la terreur de l'Afriquaine plage,
Voulant mettre fin au carnage,
Et content d'avoir vû ſes Ennemis défaits,
Avoit accrû ſa gloire en leur donnant la paix.
Les troupeaux ſur ſa foy paiſſoient en aſſûrance
Et goûtoient en repos les fruits de ſa clemence.
Ils furent bien tôt las de leur propre bonheur.
Ce Lion, dont jamais ſans trouble & ſans frayeur
Les plus fiers animaux n'appercevoient la trace,
Dont l'œil étincelant cent fois donna la chaſſe
Au plus intrépide Paſteur,
Ne doit plus, diſoient-ils, nous faire tant de peur.
Ils traitent follement ſa douceur de foibleſſe;
Et quand, fidele à ſa promeſſe
Il ne veut point accabler ces ingrats,
Ils diſent qu'il ne le peut pas.
De là, Conferences ſecretes,
Ligue, eſpoir de venger leurs anciennes défaites.
Le Lion indigné du deſſein qu'ils ont pris,
D'un regard menaçant brave ſes Ennemis.
Apprenez, dit-il, témeraires,
Quels perils vous courez en troublant mon repos.
A peine achevoit-il ces mots,
Qu'il préparoit deja ſes armes meurtriéres.
Mais un jeune lion, digne fruit de ſes ſoins,
Qui ſeul égalera ſa gloire,
Vient s'offrir au combat, & ne promet pas moins
Qu'une ſure & prompte victoire,
C'eſt à moy de punir, dit-il, ces orgueilleux,
Vous les rendrez plus fiers en combattant contr'eux.

De moindres coups, une moindre colere,
Suffit pour en tirer une vengeance entiere.
Son Pere voit avec plaiſir
Dans un autre luy même une ſi noble audace:
Il cede, & ſatisfait ce genereux deſir.
Quelque attente qu'il ait, le ſuccés la ſurpaſſe,
Et le jeune Vainqueur montre par ſes hauts faits
Qu'il deſcend du Roy des Foreſts.
Ours, Tigres, Leopards, troupe ailleurs invincible,
Eprouvent ſon juſte courroux,
Il oſe les attaquer tous,
Sans marquer plus de crainte à leur aſpect terrible,
Que lorſqu'en ſe joüant il réduit dans les bois
Quelque Loup timide aux abois.
Sous luy déja pluſieurs expirent.
D'un coup de dent aux uns il emporte le flanc,
D'autres que ſes ongles déchirent,
Le couvrent de leur ſang.
Il rugit, & pour eux ce bruit eſt un tonnerre
Qui les frappe, qui les atterre.
De fleuves leur fort entouré,
Le creux d'un antre, autrefois leur azile,
N'eſt plus un refuge aſſuré,
Antres & forts, tout leur eſt inutile.
Ils ne peuvent (tel eſt leur trouble & leur frayeur)
Ni fuir, ni reſiſter aux aſſauts du Vainqueur.
Un Oiſeau qui vit le carnage,
Inſpiré d'Apollon tint, dit-on, ce langage.
Par ſes projets préſomptueux,
Cette troupe inſenſée
A ſa propre perte empreſſée,
Pour un Lion s'en eſt attiré d'eux.

Sous les auſpices de ſon Pere,
Ce qu'un nouveau Vainqueur, ce qu'un autre LOUIS
Fait ſur le bord du Rhin à la gloire des Lis,
De cette Fable explique le myſtere.

CONJURATIO STELLARUM IN SOLEM.

FABULA.

FULGORE SOLIS lumen offundi ſuum
Stellæ indignantes; ſuſpici mortalibus
Colique ſolum; ſe relinqui inglorias:
Cuncta inſuetis miſcuere motibus.
Excanduiſſe dicitur præ ceteris
Imperium Olympi ſorte adeptus *Juppiter*;
Et qui plagæ dat nomen Occiduæ *Heſperus*:
Inſenſi SOLI, dum negant alter parem,
Alter priorem ferre. Quid non & Deos
Invidia cogit? Ergo *Mercurii* domum
Per amica noctis ſe ferunt ſilentia,
Et quæ tenent *majores Stellæ Circulos*,
Et quæ *minores*. Fecit errantes furor
Communis omnes, nulla jam fixa eſt polo.
Ubi coïere: tum ſic *Major Piſcium*,
Quem ambuſta *Cauda* ſæpius, & *Rubens* adhuc
Reddebat eloquentem, cum gemitu incipit.
Quo ſumma rerum ſit loco cognoſcitis.
Odioſa SOLIS in dies potentia
Per damna noſtra creſcit. Aſtris omnibus
Cœlo migrandum eſt, ipſe ni depellitur.
Mihi teſtis eſto, *Juppiter*, cui proxima
Datum tenere regna *Saturno Patri*;

LA CONJURATION DES ETOILES CONTRE LE SOLEIL.

Fable allegorique.

LEs Aſtres indignés de voir en ſa carriere
Le Soleil étouffer leur plus vive lumiere,
De l'Univers charmé ſeul attirer les yeux,
N'aguere en leur fureur troublerent tous les cieux.
Mais ſur tout Jupiter enflammé de furie,
Et cet Aſtre fameux, qui luit ſur l'Heſperie,
De la ſedition donnerent le ſignal:
L'un ne veut point de Maiſtre, & l'autre point d'égal.
Tous demandent leur part aux honneurs de la Terre.
L'Envie au Ciel heureux fait-elle auſſi la guerre?
Auſſi-tôt de grandeur & d'éclat differens
De leurs cercles ſortis on les voit tous errans,
Nul n'eſt plus fixe alors, la fureur les emporte,
Et chez Mercure accourt la brillante coherte.
Le Silence & la Nuit aidoient à leur deſſein.
Le premier des Poiſſons, dans un tranſport ſoudain,
Jettant l'œil ſur ſa queuë encor toute brûlée,
Clairs flambeaux de l'Olympe, éclatante aſſemblée,
De quels honteux affronts (dit-il en gemiſſant)
Nous accable aujourd'huy le Soleil trop puiſſant!
C'eſt luy ſeul en tous lieux qu'on aime, qu'on revere,
S'il ne quitte le Ciel, qu'y prétendons-nous faire?

Quoties occurſu injurioſi ſideris
It retro, metuens triſte deliquium pati?
Et jam miniſtra fulminis quondam ſui
SOLEM intuetur *Aquila*: nec Domino alteri
Servire malit. Túque, cujus Occidens
Adorat ignes, *Heſpere*, illius ſequi,
Dignus præire, cogeris veſtigia.
Illum retuſis *Luna* fugit cornibus:
Cùm tranſilire aggreſſa fixum limitem,
Auſtrina gravibus ſigna bigis ſtringeret.
Vim ſenſit *Aries* aureo bis *Vellere*
Spoliatus. Ore ſenſit ardenti minax,
Oculíſque vibrans fulgura incaſſum *Leo*.
Aliena ſed cur defleo infortunia?
Heu! luctuoſum *Piſces* exemplum ſumus,
Violenta quam ſit SOLIS indignatio.
Mediis in undis infelices arſimus:
Aquarii nec profuit vicinia.
Dicere parantem plura non ſivit dolor.
Exclamant omnes SOLE dejecto ocius
Fatale mundo comprimendum incendium.
Upereſſe vires ſi conjunctæ manſerint.
Valeſcere ſuis æmulum diſcordiis.
Augebat animos atque confidentiam
Tot viſa nox æquare luminibus diem.
Stultè. Quadrigis vix enim SOL igneis
Vehens, Olympum lucido telo impulit:
Et ecce ſubitus ora pallor occupat,
Seſéque *Stellæ* mutuo ereptas ſuis
Queruntur oculis impares tantæ faci.
Sic diſſipata eſt vana conjuratio.

Fabella monſtrat, emere ludibrium ſibi
Potentiorem qui parant laceſſere:
Numerúmque nil juvare, ſi virtus abeſt.

Toy même, Juppiter, que le plus haut deſtin
Fit du Pere des Dieux le Fils & le voiſin,
Combien de fois, helas, frappé de ſa lumiere,
T'a-t-on vû paliſſant retourner en arriere?
Ton aigle, dont le vol ſuivoit partout ta voix,
Les yeux tournés vers luy ſemble implorer ſes loix,
Dans ſon reſpect rebelle eſt jaloux de la Terre,
Et voudroit en ſes mains remettre le tonnerre.
Et toy, brillant Veſper; bel Aſtre, à qui toûjours
L'avantage eſtoit dû de devancer ſon cours,
Aux yeux de l'Occident confus de tes diſgraces,
Ne t'oblige-t il pas à marcher ſur ſes traces?
C'eſt lui, qui de la Lune, obſtacle injurieux,
Arreſta tout-à-coup ſon char victorieux,
Lorſque pouſſant plus loin ſes limites fatales
Il reſſerroit le cours des Etoiles Auſtrales.
Le Belier, dépoüillé deux fois de ſa toiſon,
Adore maintenant ſon pouvoir & ſon nom.
Qu'a ſervi du Lion la fureur déchaînée?
Mais ſans plaindre d'autrui la triſte deſtinée,
Helas! triſtes poiſſons, par quels funeſtes coups
Son pouvoir à nos yeux ſoûtient ſon fier courroux?
Au milieu de nos eaux, voiſins du Verſeau même,
Nous nous voyons bruſler... Là ſa douleur extrême
De ſon recit funebre interrompit le cours.
Le Conſeil en fureur s'écrie, à ce diſcours,
Qu'il faut ſe joindre tous pour vanger cet outrage;
Que leur force eſt encor égale à leur courage,
Que ce Rival ſi fier de tant d'heureux projets
A leurs divorces ſeuls doit ſes plus hauts ſuccés.
De tant d'Aſtres divers la clarté ramaſſée
Redoubloit leur courage & flattoit leur penſée,
Cette nuit leur ſembloit égale au plus beau jour:
Mais, ô frivole eſpoir! Le Soleil à ſon tour
De ſes premiers rayons les vient frapper à peine,
Que leurs fronts ſont couverts d'une pâleur ſoudaine,

Et de tant de lumiere éblouïs, confondus,
Tous ces Ligueurs entr'eux ne ſe connoiſſent plus.
La Nuit fuit avec eux, & les cache en ſon ombre.
Que ſert, ſans la vertu, la fureur & le nombre?

DE LA FOSSE.

LITTERARUM ALPHABETI CONCORDIA

FABULA.

QUid Alphabeti comitiis ſolemnibus
Sit nuper actum, ſcribere eſt animus mihi;
Rei memoriam ne vetuſtas obruat,
Detúrque ſpecimen Poſteris concordiæ.
Cum legibus præfixa veniſſet dies,
Parnaſſi in aulam Litteræ, inſignis cohors,
Æris vocatæ tinnuli ſonoribus
Se protinus tulere, veſte in ſimplici,
Nigrâque, memores ſcilicet modeſtiæ.
Hic nulla honoris cura concordes manet,
Non Conſonantes invident Vocalibus,
Brevéſque Longis; Muta Diphtungo comes
Ultro ire gaudet, atque Lenis Aſperæ,
Parique ſimplex Duplicem ſequitur gradu.
Ergo ubi quem cuique ſua ſors tribuebat locum
Tenuere, Doctior inter alias Littera

Silentium hæc in verba rumpere incipit.
Scientiarum vos quibus ſummus Parens
Et veritatis credidit cuſtodiam,
Sacrique cultus grande depoſitum obtulit,
Ego tantum amorem pacis & concordiæ
Habere vos cum video, fruſtra pectoris
Obtegere ſenſus atque gaudium velim;
Quid namque pace pulchrius domeſtica?
Contra æmulos, hoſtéſque quid validum magis?
Dabit illa nobis, ſi viget, victoriam:
Si deficit, vincemur; Aſperi hinc procul
Eliminentur ſpiritus, nil contumax
Nil delicatis auribus grave obſtrepat;
Stent Conſonantes mutuo Vocalibus
Apte jugatæ vinculo, ſéque invicem
Juvando, gratum reddere ſtudeant ſonum.

ACUS NAUTICA
ET
GUBERNACULUM.

FABULA.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

LUDOVICUM VERJUSIUM,

CRECIACI COMITEM,

REGI A CONSILIIS ET SECRETORIBUS Epiſtolis, ejuſque ad Comitia Germaniæ cum ſumma poteſtate Legatum.

ONuſta Navis exuviis Peruviæ
Atlantici ſecabat undas æquoris.
Ridebat æther, & levi Favonius
Criſpans flabello maria, curſus proſperi
Spem certam avaris fecerat Vectoribus.
Et jam licebat Africæ litus procul,
Metaſque duplices cernere, tropæa Herculis.
Cùm livor, & cupido dominandi impotens,
Diſcrimen adduxere res in ultimum.
Acûs marinæ gloria Gubernaculum
Jampridem urebat, mente non æqua ferens,
Quas dederat olim, nunc redactum in ordinem

LA BOUSSOLE
ET
LE GOUVERNAIL.

FABLE.

A MONSIEUR LE COMTE DE CRECY.

Un navire chargé des tréſors de l'Aſie,
A pleine voile au port voguoit heureuſement;
Quand l'Orgueil & la jalouſie
Réduiſirent en un moment
Et le navire & l'équipage
A deux doigts d'un triſte naufrage.
C'eſt à moy, dit le gouvernail,
(Et mon nom ſeul en eſt une preuve authentique)
C'eſt à moy qu'appartient un pouvoir juridique,
Sur le reſte de l'attirail,
Mais ce droit qui m'eſt dû l'inſolente Bouſſole,
Depuis un temps prétend me le ravir;
Cela, ſous je ne ſçay quel prétexte frivole,
Elle veut que chacun s'empreſſe à la ſervir,
On la ſert, elle n'a qu'a dire;
Il lui ſied bien icy d'exercer ſon empire!

Accipere leges, atque ſervire alteri.
Hinc in querelas effundens ſe amariùs
Stridebat : alios regere, non regi, meum eſt :
Id juris ipſum nomen certè vindicat.
Mihíne honores futilis Acus debitos
Præripiet ? At non illa, luctans fluctibus,
Ad cæca pinum vetuit illidi vada.
Non opportunis circumegit flexibus
Dubium tenentem ſaxa per & aras iter.
Sed molle delicata duxit otium
Eburnea in arce, fornice ſub cryſtallino,
Exors laboris pariter & periculi.
Ergo procellis, & furori turbinum
Dum noctu decertamus ac interdiu,
Redimendo noſtris naufragium diſpendiis;
Deſidiæ regnum merces & luxûs erit ?
Dedecora ſed privata quid queri attinet ?
Commune probrum eſt. Vela laxantur truci
Laceranda Boreæ : grandinem & pluvias ferant ;
Gemantque tortis pendula è rudentibus :
Regina juſſit. Tuque Bracteola agilis,
Cui noſſe motus aëris varios datum ;
Quæque ingruentem longe hiemem prænuncias :
Serva, & perennes pervigil excubias age :
Ne quo tumultu Dominæ turbetur quies ;
Neu cari amore diſtrahatur ſideris.
Hæc patimur, & ſiletis ? Immo priſtinæ
Si quis etiamnum gloriæ eſt ſenſus ſuper,
Excutite tandem turpe ſervitii jugum :
Vetuſque, me ductore, jus defendite.
Effutienti talia, media in die,
Nox pelagus improviſa, cælumque eripit.
Furit unda, ruptis fulgura micant ignibus,
Ruenſque ab omni cardine tempeſtas ſonat.
Tum verò patuit, cæca quantum temeritas
Rationi diſtet. Ille ſtridulus Vigil,

L'yvoire pour ſes murs, pour ſon toit le cryſtal,
La dame ne vous en déplaiſe,
Loin du danger, loin de tout mal,
Donne ſes ordres à ſon aiſe;
Tandis que jour & nuit nous combattons les flots,
Nous réſiſtons au choc des vents & des tempeſtes;
Nous avons une Reine au deſſus de nos teſtes,
Dans le luxe & dans le repos.

Sous elle que tout plie, & que tout obeïſſe,
Viſte. Sous les plus rudes coups,
En ſa faveur que l'Antenne gemiſſe,
A la fureur des vents, Voiles, expoſez-vous;
Et vous ſçavante Giroüette,
Du mouvement des airs la fidele interprette,
Veillez aſſidûment pour la tranquilité,
De ſon oiſive Majeſté.

Sous un joug ſi honteux ſerons-nous davantage?
Ah! s'il reſte dans voſtre cœur
La moindre étincelle d'honneur,
Tirez-vous au plutôt d'un infame eſclavage,
Sous ma juſte conduite, & ſous mes douces loix,
Rangez-vous tous comme autrefois.

Ainſi le Gouvernail faiſoit belle dépenſe,
De paroles & d'éloquence
Quand une horrible nuit vient à couvrir les mers;
Le Ciel ne paroît plus qu'au ſecours des éclairs,
Tout fremit; on pert eſperance
L'orage retentit de mille endroits divers;
Alors le beau projet, le projet admirable
Commence de paroiſtre aſſez peu raiſonnable;
On voit tomber en tournoyant
La Giroüette extravagante,
Elle qui dédaignoit chacun auparavant
Du haut du maſt qui faiſoit la pimpante,
Fait mainte culebute au premier coup de vent.

Qui ſe arboris jactabat in faſtigio
Apicem ſuperbum purpurâ auroque illitus,
Cunctoſque deſpectabat uno ſtans pede:
Primum ad procellæ murmur, expers conſilî,
Amenſque, ſubita redditur vertigine.
Confuſa rapidis Vela dant ludum Notis,
Navimque feſſam pondere inclinant ſuo.
Ipſe adeo opaca Clavus in caligine,
Incertus in quas curſum partes dirigat,
Modò huc, modò illuc, lege nulla flectitur;
Agitque gyros, & viam remetiens,
Puppi reductâ, quas petit terras fugit.
Interea Cuſpis, Urſæ amica lucidæ,
Rebellium labores niſuſque irritos,
Inſtanſque ab alto viderat periculum.
Fremit, & revinctum lilio quaſſans caput,
Huc nos, ſuperbi, veſter, ait, tulit furor.
Vis nulla aſſultus turbinum jam ſuſtinet.
Hinc æquor aperit gurgites, inde æquore
Magis timendum litus ſyrtes occulit.
Utrimque funus, utrimque deſperatio.
Tamen ſalubres ſi placet nunc denique
Audire monitus; rebus afflictis opem
Præſtare noſtra fòrs poterit induſtria.
Detracta ſummis lintea antennis cadant.
Tu, Clave, eumdem fac teneas rectus ſtatum;
Ne quaſſa fluctu latera ſolvantur ratis.
Jubeo fideli Pinnulam verſatilem
Referre ſtudio, quid Aquilones cogitent;
Quas inquietus Auſter intentet minas.
Parent; ambitio quippe metui ceſſerat,
Portumque cepit obſequens modeſtia,
Quem turbulenta clauſerat cupiditas.

Hœc fabula docet, VERJUSI, floreſcere;
Fortuna quicquid moverit, Rempublicam;

Un autre ſouffle de Borée
Met les voiles en cent morceaux.
En cette triſte deſtinée,
Le pauvre Gouvernail à la mercy des eaux;
A la mercy de la tempeſte,
Ne ſçait lui-même où donner de la teſte;
Il avance, revient, fait mille & mille tours
Et dans un même endroit ſe retrouve toûjours.
En un peril ſi manifeſte
La Bouſſole a pitié de leur état funeſte:
Vous voyez, leur dit-elle, où vous eſtes réduits;
De vôtre orgueil voilà les dignes fruits;
L'orgueil cauſe partout de ſemblables deſordres;
Si vous voulez pourtant vous ſauver du danger
Je ſçaurai vous en dégager;
Rentrez dans le devoir, & recevez mes ordres:
Qu'on m'obeïſſe exactement;
Que tous à leur devoir ſe rangent promptement;
Vous pourrez reparer ainſi voſtre folie.
On ſe ſoûmet: la peur en cette occaſion
L'emporte ſur l'ambition:
Devenus par leur modeſtie,
Dignes d'un plus fortuné ſort,
Tout l'équipage arrive au port.

Cette Fable, Crecy, *nous fait aſſez connoître*
Que tout état peut ſe vanter
De n'avoir rien à redouter,
Quand ſous les loix d'un ſage Maître
Chacun s'applique uniquement
A remplir ſes emplois, comme vous, dignement.
Il arrive tout au contraire,
Lorſqu'on veut par ambition
Faire plus que l'on ne doit faire,
Que tout eſt en confuſion.

Cùm quiſque partes ſub ſapienti Principe,
Munuſque proprium, ſtrenuè implet, ut facit.
Aſt interire ſæpe Miniſtrorum ambitu,
Sumtaque temere de ſeipſis fiducia.
Eſt interim unde gratuleris Galliæ:
Cui, REGE MAGNO, hæc contigit felicitas,
Ut imperari nec queat prudentiùs,
Majore nec pareri diligentia.
Regiminis æquat gloriam obſequii fides.

Admirons cependant le bonheur de la France ;
Car où pouvoir ailleurs trouver tant de prudence
Dans la ſuprême authorité ?
Où trouver dans l'obeïſſance
Plus d'ardeur, plus de diligence,
Plus de zele ſincere & de fidelité.

BUFFIER de la Compagnie de JESUS.

TORRENS ET FLUVIUS,

FABULA.

AD CAROLUM SANCTAMAURÆUM MONTAUSERII DUCEM.

Quæſita honeſtis artibus, raptáque opes;
Fabella paucis edocet quid differant.

MUlto imbre tumidus montis è faſtigio;
Per confragoſa ſaxa, rupeſque aſperas,
Torrens ruebat: & rapaci vortice
Secum trahebat arbores, greges, domos,
Non abſque magno ruſticæ gentis metu.
Is Fluvium conſpicatus inter populos,
Glaucaſque ſalices vitreo errantem pede,
Sic ore fertur increpaſſe turbido.
Dum tenui lentus alveo ac inglorius,
Ægrè humile mediis tollis è juncis caput,
Quanto per agros agmine decurram, vides.
Mihi cuncta eunti cedunt: & fræno pati
Indoctus, undis æmulor pontum meis.
Cui leni ſic reſpondit Amnis murmure:
Me verò lymphas volvere perennes juvat,
Ingenuo fonte natum. Nulli noxius,
Cunctis beneficus, arbores & gramina

LE TORRENT ET LE FLEUVE.

FABLE.

A MONSEIGNEUR LE DUC DE MONTAUSIER.

Entre un Riche qui doit ſa richeſſe à ſon crime,
Et celuy qui l'acquiert à titre legitime,
Il eſt peu de rapport. Cette Fable en fait foy.
Que ſi la verité s'y faiſoit trop entendre,
Je n'en ſuis pas garant, pour moy;
C'eſt au Latin qu'il faut s'en prendre.

COnçû dans une obſcure nuit,
Groſſi des eaux de cent orages,
Un Torrent rouloit à grand bruit,
Et du ſommet d'un mont commençoit ſes ravages.
Chacun s'enfuit dans les Hameaux
Laboureurs, Bergers, & Troupeaux.
Mais tout azile
Eſt inutile.
Le Torrent les entraîne, & tout cede à ſes eaux.
Cependant un Fleuve paiſible,
Non loin de luy couloit, entre des ſaules verds,
Et troublé du fracas horrible,
Sur ſon bruyant Voiſin tenoit les yeux ouverts.

Vitali humore nutrio. Paſtoribus,
Feſſoque pecori, potum & umbram præbeo.
Hinc ripa utrimque flore perpetuo micat;
Nec canere honores accolæ ceſſant meos:
Cùm te, ceu cladem deteſtentur publicam.
Fragore tanto quid enim ſperas conſequi?
Nimbos ſerenus ſol ubi deterſerit,
De te ſupererit nil niſi ſpuma & lutum.

Ridendo, MONTAUSERI, verum dicere;
Salibuſque vitia defricare candidis,
Horatio videtur res non ludicra.
Utinamque ficta quos notat narratio,
Hinc diſplicere ſeriò diſcant ſibi!
Cæcæque crimen ſortis, ac cæli furor,
Et pœna dici generis humani horreant!
Qui vaſtitate ruris, & caſu urbium,
Miſtoque lacrymis ſanguine domos extruunt,
Nequaquam heredi poſſidendas tertio.
Tibi innocentes, turpis & puras lucri,
Nihilque fiſci jura metuentes opes,
Habere avorum longa dat ſucceſſio,
Virtuſque, nunquam, LUDOVICO Principe,
Merito & labori deeſſe queſta præmium.
Macte eſto veteris gloriâ abſtinentiæ!
Quam ſi recuſat ſeculum præſens ſequi,
Erit illa certè poſteris miraculo.

Enflé de ſes ſuccés le Torrent l'enviſage ;
Et lui tint, dit-on, ce langage :
Voy comme rien ne peut s'oppoſer à mon cours ;
Comme, entaſſant victoire ſur victoire,
Je choiſis vers la mer les chemins les plus courts ;
Tandis que tu rampes ſans gloire,
T'égarant en mille détours.
Déja preſque je touche au bout de ma carriere :
Ma rivale verra mes eaux d'un œil jaloux :
Mais je veux qu'au milieu de ces flots en courroux ;
On diſtingue long-temps mon onde toute entiere.
Seigneur Torrent, vous me traitez
D'une bien étrange maniere,
Dit le Fleuve, & vous vous vantez ;
Avec une audace bien fiere.
Je ne me pique pas de rares qualitez :
Mais enfin entre nous, l'Auteur de la Nature
Voulut partager ſes talens :
Il vous donna celuy de ravager les champs ;
Et moy je n'en reçûs qu'une onde toujours pure,
Dont la ſource paroiſt depuis plus de mille ans.
J'invite par un doux murmure
Les Bergers à dormir ſur mes bords pleins de fleurs ;
Je les y voy danſer au ſon de leurs muſettes ;
J'ay ſouvent le plaiſir d'oüir leurs chanſonnettes :
Et vous, pour prix de vos fureurs,
Vous n'entendez que cris, vous ne voyez que pleurs.
Enfin qu'eſperez-vous avec voſtre inſolence ?
J'en voy déja la récompenſe.
Vous ſortez d'un nuage obſcur & tenebreux,
Mais le Soleil des nuages ſe joüe,
Il ne va vous laiſſer, par un retour affreux,
Que de l'écume & de la boüe.

MONTAUSIER, *le fameux Romain,*
Du Parnaſſe autrefois l'arbitre ſouverain,

Dont tu cheris tant la memoire,
L'a dit, & l'on peut bien l'en croire.
La libre verité ne bleſſe pas toujours:
Et ſi le crime hait une mordante plume,
Qui ne répand dans ſes diſcours,
Que du fiel & de l'amertume;
Une Muſe luy plaiſt, modeſte en critiquant,
Qui mêlant, à propos, le plaiſant au ſevere,
Prend ſoin d'aſſaiſonner une ſatyre amere
D'un ſel moins rude & moins piquant.
Faſſe le Ciel qu'ainſi, ſans chagrin, ſans murmure,
Ceux que mon Fleuve inſtruit de leur devoir,
Sous les traits empruntés d'une adroite figure,
Ne refuſent pas de ſe voir.
Peut-eſtre, ſe voyant, pourront-ils ſe déplaire,
Et reconnoiſtre enfin que les noms odieux
De publique miſere,
De cruels inſtrumens de la fureur des Cieux,
Ne ſont pas des noms vains, que donne, en ſa colere;
Un peuple avare & factieux.
Humbles au moins, dans le degré ſublime,
Où de l'aveugle ſort les éleva le crime,
Ils ſongeront, qu'en vain leurs palais enchantés,
Des larmes & du ſang du pauvre cimentés,
Et formés du débris d'une Province entiere,
Semblent en un moment ſortir de la pouſſiere,
Pour receler les fruits d'un brigandage heureux:
Puiſqu'on en chaſſera leurs troiſiémes Neveux.
Pour toy, tu ne dois point tes biens à la fortune:
MONTAUSIER, *tu reçûs de tes nobles Ayeux*
Un heritage glorieux,
Qui ne craignit jamais de recherche importune.
Ton merite t'ouvrit la porte des honneurs:
Et la Vertu, malgré l'Envie,
Dont elle eſt toûjours pourſuivie,
T'a conduit ſeurement au faiſte des grandeurs.

Heureux pourtant d'avoir un équitable Maiſtre,
Implacable ennemy du vice & des flateurs,
Qui ſçait noblement reconnoiſtre
Des ſervices conſtans, par d'égales faveurs.
Continuë à montrer, ſous ſon aimable empire,
Cette antique vertu, ſi digne qu'on l'admire:
MONTAUSIER, *les foibles Mortels*
Peut-eſtre de nos jours en blâmeront l'uſage;
Mais la Poſterité plus ſage
Te vengera, luy dreſſant des autels.

AD V. C.
ÆGIDIUM MENAGIUM.
FABULA.
DE BAJULETO
Æſtimatore librorum ineptiſſimo.

PIngui corpore, pinguiore mente
Nuper bajulus unus è trecentis
Qui fauces * Miſeri obſident Macelli,
Ibat per mediam ſuperbus urbem.
Nam præter ſolitum, virenſque Jaſpis,
Et cum Chryſolito rubens Pyropus,
Baccatumque monile, dupliceſque
Ex auro pateræ & gravi Topazo

* Eſt macellum Pariſiis frequentiſſimum, cui à miſeriâ nomen.

Saphiruſque Adamaſque Sardonixque
Olli ſarcina erant. Nec uſitato
Ille pondere lætior beatas
Cœpit in trivio explicare merces,
Et cunctis pretium imputare gemmis.
Gemmam millibus æſtimo trecentis
Iſtam, inquit: facio hanc minoris; illam
Quæ denos Itali valebat æris
Jam ſeſtertia non ement ducenta.
Plaudebat populus. Sed ecce rerum
Prudens cognitor, ohe, dixit, ohe
Macellarie portitor, quieſce:
Nam ſupra gerulum ſapis, quieſce,
Ne ſtultæ pretium æſtimationis,
Et tibi latus, & repanda dorſi
Crebro impacta ſalix perurat ictu:
Dorſo quod ſubeunt onus repando
Clitellaria neſciunt jumenta.
Quem fabella petat vides MENAGI:
Nec mutare mihi neceſſe nomen,
Nam ſunt nomina non inepta rebus.
Libros bajulus ille, Bajuletus,
Portat & forulis ſuis recondit.
Hunc nec ſarcina fecit eruditum.
Scriptores tamen æſtimat librorum,
Et chartis pretium facit diſertis.
Tanti eſt Salmaſius, Valeſiuſque
Sirmunduſque Petaviuſque tanti,
Et Buhurtius & Rapinus, inſit.
At at, bajulus ille, Bajuletus,
Stultæ deſinat æſtimationis:
Nil ſuprà gerulum ſapit, quieſcat
Expers judicii bonæque mentis
Ineptiſſimus æſtimator ille;
Doctorum chorus & novem ſorores
Iratumque ait impotens Apollo.

ASINUS
E PARNASSO REDUX.

SIlenus Aſini mœſtus infortunio,
Quem cribri ad inſtar perforato corpore
Vix ſemivivum ſævæ Apes reliquerant,
Bacchum vocabat maximis clamoribus;
Per ſi quid illi dulce feciſſet rogans,
Impune tantum ne pati vellet nefas.
Abſterge lacrymas, Bacchus inquit, ô Pater!
Mea portitoris contumelia eſt tui.
Ita elocutus, ter liquenti nectare
Corpus rudentis & caput circumluit.
Potentia ſimul verba ſecum murmurat.
Et ecce monſtri forma non viſi prius
Pecude viroque miſta. Satyrum crederes
Si non Aſelli cerneres veſtigia.

AD APES,

Ut Sileni Aſino rurſus in Parnaſſum irrumpenti ne parcant.

MEllis artifices, colonæ Hymetti,
Queis Phœbi per amœna fas vireta,
Hortoſque Aonidum volare olentes:
Cur ceſſatis, Apes? Ad arma, ad arma;
Arcas hoſtis adeſt: Aſellus ille,
Portitor Satyri Ebrius protervi,
Quem facto agmine nuper expuliſtis,
In Cyrrham redit ultor, atque tanto
Pares dedecori vices minatur.
Auditis fremitus feros rudentis?
Ut pede, ô ſcelus! atterit petulco
Inſcriptos foliis ſuperba Regum
Flores nomina; lividóque dente
Diis ipſis petit arbores amatas.
Et jam cerea diſſipare caſtra,
Veſtros ſternere jam parat labores,
Illoque ore ſuo vepreta, & hirtos
Sueto rodere carduos, Olympi
Uda nectare geſtit eſſe mella.
Et ceſſatis adhuc? Adeſte, adeſte,
Tela ſtringite quotquot eſtis omnes,
Et denſis pecudem obſidete turmis.
Nares, labra, oculos & hinc & illinc
Ferite, ſtimuloſque calcitranti
Altè figite, duplicate plagas.

AUX ABEILLES,

Pour les animer à punir l'Aſne qui veut remonter au Parnaſſe, d'où elles l'ont chaſſé.

ABeilles, troupe fortunée,
Vous qui volez dans le ſacré Vallon;
Qui dans les champs fleuris où préſide Apollon,
Cueillez avec le miel une douce roſée:
Aux armes, acourez, préparez l'aiguillon.
Voſtre ennemi, ce Rouſſin d'Arcadie,
Que vous avez battu, que vous avez dompté,
Pour ſe vanger au combat vous défie.
Et comme il ſe ſent irrité
Il croit vous attaquer mieux qu'il n'a réſiſté.
Le voyez-vous qu'il fremit de colere,
Qu'il ſe creve à force de braire:
Le traiſtre de ſon pied brutal & furieux
Foule les fleurs & les feuilles ſacrées
Où ſont de cent Heros les Deviſes tracées.
Il oſe bien toucher aux arbres précieux
Qui ſont les plus cheris des Dieux,
Il renverſe vos camps de cire.
Sa bouche accoûtumée aux ronces, aux chardons,
De l'air infect qu'elle reſpire,
De voſtre miel divin gaſte tous les rayons.
Et vous tardez encore, Abeilles genereuſes!
Aiguiſez de vos dards les pointes vigoureuſes;
Piquez-moy juſqu'au vif un ſi vil animal:
Pour lui faire du bien, faites-lui tant de mal,

Ut durâ cute ſit, tamen medullis
Ictus ſentiet intimis adactos;
Capiſtro & cupiet molæque reddi.

CREMONA
LIBERATA.

FIxerat, ingreſſus nocturnâ fraude Cremonam
EUGENIUS, medio bellica ſigna foro.
Jamque NOVILLIADES primo ſurgente tumultu
A circumfuſo Teutone captus erat:
Victor ïo miles, victâ canit urbe triumphum,
Immenſaſque ſibi ſpondet avarus opes.
Ecce autem FRANCOS ſumptis REVELLIUS armis
Hortatus memores nominis eſſe ſui,
Fertur in hoſtiles, numero licet impare, turmas,
Et trepidas multâ non ſine cæde fugat.
Intercepta dolo, ſic urbs virtute recepta eſt;
Virtutem ſequitur gloria, pœna dolum.

Qu'il reconnoiſſe & plaigne ſa beſtiſe,
Et qu'il regrette le meſtier
Qui ne lui procuroit que les coups du Meuſnier.

BUFFIER, de la Compagnie de JESUS.

TRADUCTION.

Eugene à la faveur d'une trompeuſe nuit,
De ſes braves ſuivi ſe gliſſe dans Cremone :
VILLEROY *ſort au premier bruit,*
Un gros d'Ennemis l'environne,
Et ſe ſaiſit de ſa Perſonne.
La Place eſt priſe, ils ſont à nous,
Que de richeſſes! que de gloire!
Dit le Soldat chantant Victoire.
Là REVEL *paroiſſant:* FRANÇOIS, *ſouvenez-vous*
De voſtre nom, du Roy, de la Patrie;
Il dit, Et ſur leurs Bataillons,
A la teſte des ſiens il fond avec furie,
Les perce, fait plier leurs nombreux Eſcadrons.
La ſurpriſe & la nuit vous ont livré la Place,
Fuyez, fiers Al'emands, la valeur vous en chaſſe:
Qui vouloit nous ſurprendre eſt ſurpris & battu,
Et la gloire eſt le prix de la ſeule vertu.

J. DELMAS de la Compagnie de JESUS.

DE EXPUGNATIS MONTIS-MELIANI ARCIBUS.

DUm LUDOVICUS gloriæ terit viam
Longéque cunctis Regibus currit prior:
Sic queſtus eſſe dicitur Victoriæ:
Comes laborum quæ meis votis ſtudes
Occurrere ultro, quæque nullo non die
Novas amica laureas offers manu:
Quouſque, Diva, pacis infractæ reum
Patieris hoſtem rupe inacceſſâ tegi?
Olli renidens, quoque Gradivum ſolet
Mulcere ovantem, blandiens vultu refert.
Sanguis Deorum, cui tot actis grandibus
Probata virtus me fide æterna obligat;
An fas negare quod petis? Jube, meum eſt
Parere. Jam jam Liliis diſcet caput
Subjicere Mons ſuperbus, & jugum pati.
Per mille mortes miles intrepidus meis
Sublatus alis Gallica huc ſigna inferet.
Ut qui triumphas ſemper & terra & mari,
In æthere ipſo denique triumphos agas.

TRADUCTION
Sur la Priſe de Montmelian.

LE plus grand de nos Rois diſoit à la Victoire,
Sa fidelle Compagne au chemin de la Gloire ;
Déeſſe, qui toûjours ſi prompte à mes deſirs,
Faites de leur ſuccés vos plus charmans plaiſirs ;
Souffrirez-vous encor qu'un roc inacceſſible
D'un injuſte Ennemy ſoit l'azile paiſible ?
La Victoire à ces mots luy jettant des regards
Tels qu'au jour d'un Triomphe elle en jette au Dieu Mars,
Répondit auſſi-tôt : Heros dont le courage
D'une conſtante ardeur à tous vos pas m'engage,
Puis-je vous refuſer ? Vous parlez, j'obeïs,
Je vas joindre ces monts à l'Empire des Lys :
Malgré mille perils, vos guerriers intrépides
Y monteront, portés ſur mes aiſles rapides ;
Et vous allez enfin triompher dans les airs
Ainſi que ſur la Terre, ainſi que ſur les Mers.

M. De Betoulaud.

DIFFICILE ITER
AD THEOLOGIAM.

URaniæ ſedes, conceſſaque regna beatis
Jamdudum optantem me viſere, trans vaga longe
Nubila, ventorumque vias, pernicibus alis
Pegaſus, exceptum tergo, per inane ferebat.
Occurrunt liquidis fluitantia mœnia campis,
Erranteſque polo gentes, penituſque repoſtæ
Inſulæ in vacuo immenſo. Quarum ordine primus
Grammatice depreſſa ſitu, vix tollit ab undis
Obſcurum caput; at firmis radicibus hæret,
Diluvii ſecura: nec altera frugis opimæ
Ditior eſt tellus. Olli vicina canoros
Harmonie oſtentat montes, ripamque ſonantem
Fluctibus. Auritæ Zephyrorum ad ſibila myrti
Sponte ſua in numerum reſupino vertice nutant;
Exercentque choros ramis per mutua nexis.
Non procul aſſurgit ſpatiis exilibus orbem,
Et maris ingentes gremio complexa meatus
Coſmographe, timidis ſtatio gratiſſima nautis.
Palmarumque ferax, & flumine nobilis aureo
Rhetoris, undantes inter pulcherrima terras.
Et veri inventrix Critice, felixque Dicæa
Legibus, & longum promittens Iaſis ævum.
Quæ dum præteriens oculis miracula luſtro;
Ecce repentino ſtimulatus corda furore
Hinnitus dedit horrendos, & calcibus auras
Pulſare incepit quadrupes. nunc vertice prono
Præcipitat: nunc arrecto ſe corpore tollit

Arduus, incertoſque agitat per inania curſus,
Nec mora nec requies: dum me male lora tenentem
Prenſantemque jubas ſuccuſſu denique crebro
Proruat, & vacuâ reſupinum effundat in æthrâ.
Mollius aurigam currus Phaëthonta paterni
Excuſſere jugo, quaſſâ cervice rebelles
Solis Equi. Nec me melior fortuna manebat,
Ni Deus auxilio caſum præſente levaſſet.

MOSES ADOPTATUS.

PAtrum, puer, fortuna; vexatæ diu
Spes Gentis, & felicitas.
Heu! quos honores, quas tibi cunas parat
Furor obſtinatus Principis?
Pretioſa Regis odia naufragium jubent
Omnemque præſcindunt moram.
Jocabetha natum triſtis exportat, ſua
Datura Nilo viſcera.
Ne ſit parens ſcelerata, committit ſcelus;
Dum ſævit in prolem, pia.
Ergo implicatis parva ſcirpiculis ſagax
Intexit incunabula:
Tenax caducam cera connectit domum
Parvo ſacrandam in hoſpite.
Furtiva poſtquam, ter quater dedit oſcula
Et flumen auxit lacrymis,
Biblos natantes pellit incertâ manu
Greſſuque refugit concito:
Nati periclum cernere, & gentis fugit
Salutem in illo naufragam.
Illuſtre ſenſit pondus, & cymbam bonus
Accepit amnis divitem:
Natat, & quieto lectulus dociles aquas
Securus ingreſſu premit,
Dura inter ſaxa donec & brevibus vadis
Cortex adhæſit ſcirpeus.
Regina curis forte tum ſaturum brevi
Animum eximebat otio:
Hæc dum propinquo feriatur littore
Et ſueta viſit balnea,

Cernit morantem pupulum, & fidelibus
Corbem fluentis eripit:
Ut ore vidit hoſpitantes gratias
Et bina frontis ſydera,
Formæ decus miratur & molles genas
Mille populatur oſculis:
Dum mille repetit, ore male cauto excidit
Fatale nomen filii:
Erraſſe linguam gaudet, & ſterili thoro
Fortuitum adoptat filium,
Materna quondam ſceptra qui forti manu
Stupente moderetur Pharo:
Sic ſervat hoſtes dum necat magnæ furor
Felicitatis artifex.

AD DOMINICUM BUHURSIUM S. J.

ELEGANTISSIMORUM ARISTI ET EUGENII COLLOQUIORUM SCRIPTOREM.

ODE.

NE ſit, BUHURSI, magnanimo pudor
Vanum Cleantem ferre ſilentio;
Tuâque ne digneris irâ
Pugnæ avidum Juvenem ſuperbæ.
Sic Africani Rex nemoris leo,
Tauro paratis non furit unguibus
Imbellis in fœtum capellæ
Aut celerem dare terga damam.
Fortes repugnant fortibus: æmuli
Contemptus indigni, altiùs in jecur
Deſcendet, infigetque vulnus
Threïcia melius ſagitta.
Urunt diſerti munditiæ Eugenî,
Simplexque & artem diſſimulans nitor:
Urunt Ariſti ſparſa blandis
Dicta jocis, lepidoque riſu.
Hinc ille ſacris invidiæ furor
Ardet libellis: par rabido cani,
Qui latrat ad Lunam, micantes
Indocilem cohibere currus.

TRADUCTION
DE
L'ODE LATINE.

CLEANTE oſe donc t'attaquer!
A ſes Ecrits malins ne daigne pas répondre :
Crois-moy, BOUHOURS, *pour le confondre*,
Il te ſuffit de n'y rien repliquer.
Ce jeune Avanturier, trop avide de gloire,
Voudroit, pour ſignaler à jamais ſa memoire,
Qu'Ariſte contre luy mît la plume à la main ;
Mais il l'eſpere en vain.
Sans s'amuſer au faon, mépriſable adverſaire,
Le lion glorieux
Reſerve ſa colere
Pour quelque taureau furieux.
Il faut à des Heros, des Heros à combattre,
Avec des gens d'un moindre prix,
Il ne nous faut pour les abatre,
Qu'un genereux mépris.
De tes Ecrits charmans le tour, la politeſſe,
L'air aiſé, la douceur,
L'enjoüement, la juſteſſe,
D'un Critique jaloux aigrit la noire humeur.
Ta gloire l'éblouït, le bleſſe, l'importune.
Ainſi voit-on un chien japper contre la Lune ;
Mais la Lune en ſon cours allant le même train,
Toûjours & brillante & tranquille,
Regarde avec dédain
D'un ſi foible ennemi la fureur inutile.

DE LA ROCHE, de la Compagnie de JESUS.

AD
SANTOLIUM VICTORINUM,

Æterna eſſe præmia Poëtarum qui latinè ſcribunt.

ODE.

NOn ſi carmina Gallicis
Apte juncta modis, Ingenî & artium
Idem cultor & arbiter
Colbertus meritis muneribus fovet;
Romanæ, tu quereris, lyræ
Omnis continuo laus perit & decus,
Santoli. Neque præmia
Illum deficient, Virgilio duce,
Verſus perſimiles tuis
Quandóque Auſonia qui recinet tuba.
Neſcis ut patrio novam
Sermoni faciem quæque ferat dies?
Nam quas nunc miſere anxius
Scriptor quærere amat delicias, brevi,
Uſus ſi volet inſolens,
Spretas rejiciet non ſine nauſea.
Ronſardus malè barbaro
Molles auriculas murmure vulnerat,
Dictus Franciacæ Pater
Linguæ. Quis modo non unius æſtimet
Aſſis, vendita millibus
Terdenis opici carmina Portei?
Et jam, Perronide, jaces:
Jam, Malherba, tuos Sequana pareiùs

A MONSIEUR DE SANTEUIL,

Chanoine Regulier de S. Victor.

Que la rècompenſe des Poëtes qui écrivent en latin, eſt éternelle par l'immortalité de leurs Ouvrages.

IL eſt vray, ce n'eſt plus que ſur les Vers François,
Que l'Illuſtre Colbert, qui peut à juſte titre,
Des beaux Arts, qu'il cultive, être aujourd'huy l'arbitre,
Fait tomber les faveurs du plus grand de nos Rois :
Mais pour cela, cher SANTEUIL, *faut-il croire,*
Que deſormais la lyre des Romains,
Comme dans tes Vers tu t'en plains,
Va demeurer ſans merite & ſans gloire ?
Non. Quiconque faiſant des Vers, comme tu fais ;
Sçaura les entonner, d'un Air auſſi facile,
Sur la trompette de Virgile,
Sans rechercher de prix, n'en manquera jamais.
Et puis, tu vois comme noſtre langage,
Qui ſe regle en tout temps ſur celuy de la Cour,
Change comme elle, chaque jour,
N'ayant pour ley qu'un inconſtant uſage.
Ces tours & ces beautés, que cherche un Ecrivain,
Pour en faire aujourd'huy nos plus pures delices,
Si l'uſage le veut, ſi l'on ſuit ſes caprices,
Seront, avec degoût, rejettés dés demain.

I

Miratur numeros. Fugit
Laudatus populis Veturium lepos:
Feſtino & nimium pede
Chartas Balzacii deſeruit Venus.
Sic mori placitum improbo
Faſtidire, ſemel quod placuit, diù.
At certus Latiis honos,
Et vani haud metuens tædia ſæculi,
Perſtat gratia Vatibus.
Vivet perpetui Muſa Sidronii
Puro flumine purior:
Et qui nunc cithara provocat æſculis
Auditas Calabris fides;
Acri nunc lituo Mæoniden refert,
Felix ponere Wallius
Incano duplicem vertice lauream.
Rident ſole ſub aureo
Flores nigrum hyemem, quos facili manu
Inſerit meus & mero
Rapinus nitidos nectare perpluit.
Et te fama, Ruææ, anus
Tradet poſtgenitis, non humili pede
Perſultantem Iſalæ vada:
Dum cantu Batavos exagitas duces;
Et quos Rex gladio ferit,
Æterno calami figis acumine.
Nec te, Frizo, ſinet premi
Obſcuro indecorem Poſteritas ſitu:
Cui ſi me ingenio parem
Turenni annuerint dicere prælia, &
Rubros ſanguine Belgico
Muſæ Borbonidas; non aliis velim,
Obſcœni fugiens lucri,
Ornari potiùs carmina præmiis.

Ronſard, au ſentiment de ce Tyran bizare,
Bleſſe aujourd'huy d'un ſon rude & barbare
L'oreille accoûtumée à de plus doux accens.
Il n'a plus le don de luy plaire,
Luy qui ſur la foy de ſon temps,
De la langue Françoiſe eſt appellé le Pere.

Deſportes, qui jadis reçût dix mille écus,
D'un ſeul Sonnet écrit en ſa maniere;
Trouveroit-il vingt ſols d'une Iliade entiere
Ecrite, comme on n'écrit plus?
Et vous, dans qui la force à la douceur égale,
Charma toute la Cour, & fit tant de jaloux,
Du Perron, vous cedez à cette loy fatale,
Et l'on n'y parle plus de vous.
Vous-même, dont la Muſe autrefois ſouveraine
Se fit ſi long-temps adorer
Sur les bords heureux de la Seine,
Malherbe, on y commence à vous moins admirer.

Mais tant de graces, dont Voiture
Se ſent ſi proprement parer,
Par une ſemblable avanture
Ne ſemblent-elles pas s'en vouloir ſeparer?
Pour celles, dont Balzac s'acquit tant de louange
On les a vû paſſer, & noſtre eſprit confus,
Par une illuſion étrange,
Les cherche en ſes Ecrits, & ne les trouve plus.
Tel eſt le bon plaiſir, ou plutôt l'injuſtice
de l'Uſage, dont le caprice
Le dégoûte éternellement
De ce qui luy plut un moment.

Mais des Latins le langage immuable
En rend la gloire plus durable;
Et ce que maintenant leurs Muſes ont d'attraits,
Sans craindre les dégoûts d'un ſiecle variable,
Aux yeux de leurs Amans ne flêtrira jamais.

Ainſi de Hoſchius la Muſe toûjours belle a,
Et plus pure toûjours que le plus pur ruiſſeau,
Le couronnant d'une gloire immortelle,
Triomphera de l'oubly du tombeau.

Ainſi vivra celuy, dont l'heureux caractere
Tantôt du docte Calabrois
Fait reſonner la lyre ſous ſes doigts,
Tantôt ſçait emboucher le Clairon dont Homere
Chanta d'Achille la colere.

De Walle ſe va rendre immortel comme luy b,
Sous ce double laurier, dont par un privilege
De ſa teſte chenuë il couronne la nege,
Il ſera dans mille ans ce qu'il eſt aujourd'huy.

Sous un brillant Soleil, auquel ſont expoſées
Ces belles fleurs, que planta de ſa main
Rapin, à qui Virgile en laiſſa le deſſein,
Et qui de pur nectar en furent arroſées;
Toûjours brillantes dans ſes Vers,
Toûjours fraîches, toûjours nouvelles,
Elles vont deſormais devenir immortelles
Et braver ſous ſon nom le temps & les hyvers.
C'eſt encore de toy, la Ruë,
Que doit long-temps s'entretenir
Avec les ſiecles à venir
La Renommée, à qui ta Muſe eſt ſi connuë;
Leur remettant devant les yeux,
Comme d'un pas audacieux
De l'Iſſel écumant tu forces le paſſage
Dans ces Vers, où tu bats avec tant d'avantage
Les Chefs des Hollandois, que pouſſent nos Soldats;
Lorſque ta plume eſt encore occupée
A percer de ſes traits, même aprés leur trépas,
Ceux que ton Roy frapa de ſon épée.

a Sidronius Hoſchius. b Wallius.

Et toy, Frizon, crains-tu que la poſterité
T'enſeveliſſe un jour ſans renom & ſans gloire
Dans cétte injuſte obſcurité,
Où des Auteurs François s'éclipſe la memoire?
Si je pouvois égaler ton eſprit,
Si les Muſes vouloient authoriſer ma veine
A chanter comme toy les combats de Turenne,
Et les merveilles qu'il y fit;
Ou ſi par un bonheur, où je n'oſe prétendre,
Il m'eſtoit, comme à toy, permis
De chanter les Bourbons dans les champs de la Flandre
Rougis du ſang des ennemis;
Sans attendre d'autre ſalaire,
Mes deſirs ſeroient trop contents
D'en avoir égalé la gloire par mes chants;
Mais il faudroit trouver le ſecret de le faire.

EIDEM.

MIris tueris facinus indignum modis
Amice, peccas, vis tamen pœnas luam.
Aut talis eſto lingua qualem prædicat
Aut odio aperto diſce mecum vivere.
Actum meo de amore ni reſpondeas
Bonus Poëta es: téque ovantem Sequana
Undiſque Ligeris portat ingens alveus:
Hæc decora nullus ut tibi imminuat dies,
Poſtrema dele ſcripta Regi carmina.

EIDEM.

Cur me querelis, Santoli, exanimas tuis
Nullius errati reum?
Niſi fortè grandis inſtar errati putas
Quod te colóque & diligo:
Quod ingenî vim laudo, mores candidos,
Animúmque fuci neſcium,
Saléſque puros dignáque Auguſti aureo
Quæ ſundis ævo carmina.
Hæc miror in te cuncta, nec ſileo invidus,
Sed voce clarâ prædico.
Ode illa teſtis, laude quæ gravis tuâ,
Et dithyrambos, & trucem
Mareſii iram, non ſine ipſius probro
Devolvit in noſtrum caput.
Quare queri deſiſte, & hanc ſententiam
Alto reconde pectore:
Quiſquis nimis veretur, ut ametur, probis
Is dignum amari ſe negat.

AD BATAVOS

Bellum adverſus Galliam redintegrantes commonitio.

GEns Batavum infelix quid adhuc funeſta retractas
Non marte dextro prælia?
Cur toties experta tuis contraria fatis
Fata LODOICI provocas?
Cede Deo: Et quando non fas obſiſtere contra
Victricem adora dexteram:
Et veniam poſcens lacrymis & ſupplice cultu
Sic fulmen ultori excute:
Nam quantum in tumidos bello ſe præſtat & armis
Inque Inſolentes aſperum,
Tantum in ſubjectos clementi numine gaudet
Monſtrare ſe placabilem;
Nulla tibi fracto fiducia milite reſtat,
Spes nulla captis arcibus:
Quid conjurato Scaldis ſociatus Ibero
Quid Iſter Oderæ profuit?
Jam Moſa, jam Rhenus ſummiſſo Gallica cornu
Ulto receperunt juga
Atque ſuas propter, longo poſt tempore, ripas
Florere cernunt lilia.

SERENISSIMO

DUCI BURGUNDIÆ

Cum Scriptorum veterum opera gallicè redderet.

TAm tenerâ, Divûm ſoboles, ætate laceſſis
Quot fandi artifices Roma vetuſta tulit?
Fidus & interpres patriâ ſcis reddere linguâ
Quas ſcriptis Veneres inſeruere ſuis.
Jam tibi Ariſtotelis Pellæus maxima cura
Doctrinâ juvenis ſe negat eſſe parem:
Attamen egregii formatus voce magiſtri
Parnaſſum ingenio ceperat ille ſuo.
Plus aliquid Vates non futilis auguro: palmam
Eloquio cedèt Julius ipſe tuo;
Julius, innumeros qui quâ confecerat hoſtes,
Hiſtoriam ſcripſit geſtâque bella manu.
Ergo tibi dulces placeant ante omnia Muſæ:
Et propera MAGNUM dura per arma ſequi.
Nullus eo meliùs petitur quà gloria monſtret,
Sic alter Mavors, Phœbus & alter eris.

A MONSEIGNEUR
LE DUC DE BOURGOGNE.

Sur une Traduction qu'il a faite.

MADRIGAL.

Quoy, Prince merveilleux, dans un âge ſi tendre
Vous eſtes un fidelle & charmant Traducteur!
Et vous ſçavez bien plus que ne ſçeut Alexandre,
Aprés tant de leçons de ſon grand Précepteur.
Mais je prévoy pour vous encore une Victoire,
Vous allez ſurpaſſer le premier des Ceſars,
Qui d'une meſme main écrivit ſon hiſtoire,
Vainquit ſes Ennemis, & força des ramparts.
Aimez, aimez toûjours les filles de Memoire,
Imitez bien LOUIS, *dans les guerriers hazards,*
Nul n'a ſçû comme luy le chemin de la Gloire;
Vous ſerez favory d'Apollon & de Mars.

Mademoiſelle DE SCUDERY.

SUR LA TRADUCTION LATINE.

MADRIGAL.

Comme une Fontaine ordinaire,
Traverſant des ſables dorés
Devient plus brillante & plus claire ;
De la meſme façon mes Vers ſont admirés,
Quand un grand Traducteur veut me faire la grace
De leur faire parler le langage d'Horace.
Cet heureux changement leur donne des appas
Que ma Muſe ne donne pas ;
Et je conviens enfin, ſans nulle modeſtie,
Que mon Original vaut moins que la Copie.

Mademoiſelle De Scudery.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM CONDÆUM

Qui aprum ad epulas miſerat,

APER VATICINANS.

ILle tuæ terror ſylvæ, CONDÆE, vocari
Qui meruit rapidi fulmine dentis Aper;
Ut primum Clari tenuit faſtigia montis
Muſarum ad numeros ſubſiliente choro,
Feſtivos ſenſit, dictu mirabile, plauſus,
Cœpit & humanâ talia voce loqui.
Haud ego, flórenti quamquam deprenſus in ævo,
Ante diem fatis ſuccubuiſſe queror:
Quippe nec ignavus perii, nec laudis egenus;
Plagæ Equitum teſtes & laniena Canum.
At quis honos, quantuſque fuit, cum vulnere magno
Magnam effudi animam Principis ante pedes
Cantilio cedat Calidon, illuſtrior Heros
Ænidâ, victor debuit eſſe meus.
Atque utinam, Arduennâ qui nunc bacchatur in altâ,
Diſcat quid valeant illius arma Leo.
Sic fatus, ſiluit: nos fauſtum accepimus omen,
Vovimus & Marti mille trophæa tuo.

SAPHO GALLICÆ
MAGDALENÆ SCUDERIÆ,

Cui flores acu pictos miſerat.

FEſto Magdalidos die,
Quem fecit proprium Relligio tibi,
Flores, SCUDERIS, offero.
Non quales Zephyris ver revocantibus
Cum tellus aperit ſinum,
Aprilis tepido ſidere parturit.
Doctæ progenies acûs
Inter virgineos prodigialiter
Enati digitos, aquæ
Non poſcunt riguæ pocula, ſeduli
Non cultoris egent ope.
Quin ſpernunt hiemes, & rabiem canis,
Et triſtes Boreæ minas.
Felices nimium ſi tibi ſe probant,
Illis floribus æmuli,
Sparſos carminibus quos legimus tuis.

TRADUCTION EN PROSE POETIQUE.

A MADEMOISELLE

DE SCUDERY

LA SAPHO FRANCOISE,

En luy envoyant un Bouquet de Fleurs brodées.

ILluſtre SCUDERY, *en ce jour que la Religion deſtine à celebrer la Feſte d'une grande Sainte, & qu'elle vous fait regarder comme voſtre Feſte particuliere, ſouffrez que je vous offre ces Fleurs. Elles ne ſont pas telles qu'en produit le Mois d'Avril ſous une douce Conſtellation, lorſque la Terre ouvre ſon ſein au retour du Printemps que les Zephyrs ramenent. Une ſçavante aiguille les a fait naiſtre, comme par miracle, ſous la main d'une Fille adroite. Elles n'ont beſoin ny d'eſtre arroſées, ny qu'un Jardinier les cultive avec ſoin; elles bravent la rigueur des hyvers, les brulantes ardeurs de la Canicule, & les cruelles menaces du fougueux Borée. Trop heureuſes, ſi elles peuvent vous plaire, & vous paroiſtre auſſi belles & auſſi riantes en leur eſpece, que le ſont en la leur celles que vous ſemez dans tous vos Ouvrages, Vous qui ſçavez l'art d'en tirer du fonds même des matieres les plus ſéches & les plus ſteriles.*

M. BOSQUILLON, de
l'Academie royale de Soiſſons.

POLYCRENE BASUILLANA

AD ILLUSTRISSIMUM

LAMONIUM

SENATUS PRINCIPEM.

FRAGMENTUM.

FOns ego ſylveſtris ſine nomine, valle ſub ima
Furtim oriens, humilem juncis & ſimplice muſco
Sortitus thalamum: ſolis inglorius arvis
Atque umbra nemorum, quâ me declivia ducunt,
Evolvo tenui labentes murmure lymphas;
Fontibus his diſpar quos magna per atria Regum
Egit amor luxûs, peregrino marmore cingi
Gaudentes; tumidoſque videri in ditibus alveis.
Ruſticus ille tamen placeo tibi, Magne LAMONI,
Hunc mea ſimplicitas mihi conciliavit honorem.
Felix ſimplicitas! quid enim ambitioſius optem,
Quàm quod deliciæque tuæ, tuáque eſſe voluptas
Carminibus dicor Vatum? non omnia Vates
Carminibus fingunt. noſtræ magis omnibus undæ
Arriſere tibi. ſpatiis hic terminus, auras
Seu captare juvat miti ſub Sole; patentes
Seu forte accipitrem placuit laxare per agros
Perdicum exitio. curſu & venatibus ultra
Indulgere nefas; hoc alitibuſque feriſque
Dixiſti haud quaquam ferro violabile aſylum.
Nec te cum cælo candens inferbuit æſtas,
Sectantem frigus, molli requieſcere in ora

Pœnitet, ac gelidum fronti aſperſiſſe liquorem
Agnoſcunt Dominum latices, ripæque laborant
Certatim advolvi, manibuſque alterna trementes
Oſcula dant, æſtumque ultrò reſtinguere gaudent.
Atque novæ interea facies pulcherrima ſcenæ,
Haudque tuis indigna oculis ſpectacula ſurgunt
Sponte ſua mentem curis ingentibus ægram
Ut recreet, ludos rerum tibi Dædala mater
Hos facit, & tenui totam ſe oſtentat in unda.
Namque ubi tranquillo requierunt æquore fluctus
Apparent nullo artificis molimine fictæ
Effigies. nil peniculum mixtuſque colori
Rite color, pingui nil oblita lintea olivo,
Nil doctæ juvere manus. nec tempora ſervant
Creſcendique moras . . . .

VATI

NIMIÆ DICACITATIS.

LINGUARIUM.

Cur inficetis nos fatigas verſibus ?
Jam parce tandem, Faſtidi, chartæ & tibi ;
Urbique pudeat tamdiu ludos dare
Actorem ineptæ ineptiorem fabulæ.
Seu mane ſurgit, ſeu cadit ſuo dies,
Vici, angi-portus, trivia, pontes, inſulæ
Sine more querulis perſonant clamoribus.
Quacumque tranſis, ilicet, fit undique,
Tumultus ingens atque concurſatio.
Te bajulus, & agazo, quique civibus
Gemente fert cervice venales aquas,
Pictæque cathedræ portitor, mulus bipes,
Fex denique omnis plebis infimæ obſident,
Quæruntque frontis unde triſte nubilum ?
Atque aliquis haud indoctus agreſtem jocis
Hilarare turbam : dolia, inquit, belnico
Spumantia mero, nuper exhauſtūm arguunt
Triſti ſonore nectar ; eia, Najades
Domino dolenti quâ licet ſolatium
Præbete ; veſtras ille carminibus ſuis
Ornavit undas ; pocula merenti date.
Fortaſſis, inquit alter, inflictam ſibi
Faſtidius alapam regiæ palmâ nurus
Ceu grande probrum luget, immerito tamen
Palmaris inde vatis agnomen feret.

Exclamat alius de viæ crepidine
Dividere felix triobolares Nænias.
Poëta noſter penſionis annuæ
Regale munus perdere haud fruſtra timet,
Acri dolore corda transfixus gemit.
Immane meruit tam gravi pœna miſer
Piare crimen, Janſeniſta factus eſt.
Te Janſeniſtam Faſtidi? pereat male
Tibi qui probroſi nominis inuſſit notam.
Longe ſcholarum jurgioſo pulvere
Servas avitam corde ſimplici fidem.
Ipri quid Hippo diſtet, Afer Belgico
An pugnet Auguſtinus, ignoras libens.
Cur ergo inanis te cupido gloriæ
Frui beatâ prohibet ignorantia?
Nempe eruditæ factionis aſſecla
Et ipſe docti conſequi famam cupis;
Portum celebras regium, Arnaldi fidem;
Et perferendis pro Deo laboribus
Martyribus æquam prædicas conſtantiam,
Ejus triumphos hoſte devicto canis.
At hæc tibi dolebit aſſentatio.
Nam quot creavit & creat moleſtias
Fatale carmen, eſſe quod nolles tuum!
Dum fraudulentis fallere putas artibus,
Incautus ipſe te tuo laqueo implicas.
Ais, negas, fateris, excuſas ſcelus,
Mox dicta revocas, & novis mendacia
Cumulare prima non pudet mendaciis.
Sic verſipellis mobilique Protheo
Mobilior omnem quamlibet formam induis.
Fruſtra es, ſuo mus captus indicio perit.
Hinc aſper ille riſus & amari ſales,
Urbiſque de te, Faſtidi, Comœdiæ.
Ceſſare quæ ſi diſcupis, ſile & ſape.

EIDEM GLORIANTI

Se Palinodiam non ceciniſſe

EPIGRAMMA.

ERgo & tuis nos ludendos putas
Muſæ dicacis artibus,
Et imminentem fraudis & doli artifex
Speras procellam avertere?
Interpretari carmen impium, & novas
Nil quærere ambages juvat.
Quâ gloriaris vafer Palinodiam
Vitaſſe, ſi ſapis, cane.

CLARISSIMO VIRO

D. DE LA FONTAINE,

Quod Aſinum Judicem, Fabulam Latinam Verſibus Gallicis elegantiſſimis reddiderit

EUCHARISTICON.

QUid hocce monſtri? venit è Latio hiſpidus
Et agreſtis Aſinus. At ſimul Luteciæ
Spiravit auram, Gallici & Fontis fuit
Aſperſus undâ; factus eſt ſubito aureus:
Et qui rudebat, cœpit ornatè loqui.

AD CAROLUM LE BRUN, PICTORUM HUJUS ÆTATIS PRINCIPEM

EPIGRAMMA.

DIi benè te ſeclo Lodoici, BRUNE, dederunt
Pictorem eximii Principis eximium.
Tantum Heroa unus potuiſti pingere: & unus
Materies arti par fuit ille tuæ.
Ceſſit Alexander Lodoici & Julius armis:
Cedet jam Raphaël Parrhaſiuſque tibi.

A MONSIEUR

LE BRUN

MADRIGAL.

AU ſiecle de LOUIS *l'heureux ſort te fit naiſtre,*
Il luy falloit un Peintre, il te falloit un Maiſtre
Qui fournît à ton art plus d'un noble deſſein.
Nous allons triompher d'Athenes & de Rome.
Il n'eſt que toy, LE BRUN, *pour peindre un ſi grand homme,*
Comme il n'eſt que LOUIS *pour occuper ta main.*

L'Abbé TALLEMAN.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

D. D. PELTERIUM

URBIS PRÆFECTUM.

INſanus, hiemis turbidæ dum filius,
Torrens, rapaci vortice
Percurrit agros; publicam & pagis famem
Plures in annos invehit:
Illum ſerena fronte, Peleteri, aſpicis
Clade ac ruinis creſcere?
Corripere meſſes, nemora, cúmque ovilibus
Ipſas colonorum domos?
Tamen benigna eſt mens tibi: mortalium
Gaudere nec malis potes.
Sed enim laboris atque laudis hic novæ
Oblata delectat ſeges:
Juvatque peſtem adeſſe, quam mox civicæ
Cuſtos ſalutis comprimas.
Sic, quæ domaret, monſtra non ægrè tulit
Identidem naſci Hercules.

CÆNA BEATA.

FRAGMENTUM.

COenam quæ faciant beatiorem,
Hæc ſunt. Igne tepens diæta largo,
Dum riget Borea furente Janus;
Simplex mundities, nitorque mappæ;
Pura, nec nimis elegans ſupellex,
Convivæ faciles, ſibique noti:
Queis nec diſplicet innocens voluptas,
Nec incommoda ſe remiſcet umbra.
Ac primùm patinam mihi capacem,
Quam cepæ nivea ambiant corona,
Capo jure ſuo natans, tenerque
Poples lacteoli impleat vitelli.
Utrumque ad latus, hinc tremens opimi
Stet ſegmen bovis, inde cluſa lauto
Miſcellanea delicata cruſto.
His cùm prima fames erit repreſſa,
Poſcantur calices ſibique in orbem
Leni quiſque mero apprecetur ævum.

. . . .

LUGDUNUM.

MOntis amans *a* corvus fauſto dedit omine nomen:
Sunt ſtructa auſpiciis mœnia *b*, Plance, tuis.
Junctus Arar Rhodano famulari gurgite ſervit:
Auget uterque meas, aut petit orbis opes.
Relligionis honor, morum conſtantia, Regi
Prompta fides, nulla ſe magis urbe probant.
Ne te adeo jactes Lutecia: jam mihi *c* regnum,
Quum vix nata fores, Gallia detulerat.

a Lugdunum veteri Gallorum lingua eſt Corvi-mons.
b Munatius Plancus coloniam deduxit.
c Eſt totius Celticæ Galliæ Metropolis.

Epigramma extemporale.

ANte focum verſus Veteli nova dona Poëtæ
Legimus: & dignos duximus eſſe foco.

In Mævium Poëtam deformem.

INformes verſus deformis Mœvius edit:
Diſſimiles natos non decet eſſe patri.

LUDOVICI ET GUILLELMI VENATIO.

VEnatur, ſepiſque inter dumeta Batavæ
Urget Naſſavius voce manuque canes.
Venatur LODOIX, monteſque indagine cingens
Luſtra metu latè cuncta fugâque replet.
Quænam ambos maneat quæris fortuna? Leonem
Captabit LODOIX, Naſſavius lepores.

IN EMBRIONES VINO DISTILLATO CONSERVATOS.

INformes orſus, & iniquæ matribus ægris
Crimina Lucinæ, ſeu vos fœtâ expulit alvo
Ante diem natura moleſtum & inutile pondus,
Seu vi cruda ſecans traxit per vulnera ferrum,
Parcite duritiem fatorum onerare querelis:
Ultor adeſt ruptæ primo ſub ſtamine vitæ
Ruſcius, & lucis penſat cum fœnore damna:
Quippe timere vetat cineréſque ſitúmque ſepulchri,
Ætherio immerſos fonte & vitalibus undis.
Dúmque putris tabes Regum depaſcitur artus,
Subque ſuis laniat mors improba Mauſoleis,
Ille ævi vobis dat habere perennis honorem,
Morſúſque oppoſitâ cryſtallo temporis arcet.
Ac vos ſi qua manet pro munere gratia tanto,
Servate æternos ejus quoque nomen in annos.

LAUS VITÆ RUSTICÆ.

GRamen oves, ſomnos in gramine, lætaq; carpunt
Otia Paſtores: hæc bona reddit ager.
Delectent alios urbiſque aulæque tumultus
Me juvat in vitâ ſimplice grata quies.
Curæ habitant urbes, & celſa palatia Regum
Paxque caſas humiles ruraque ſola colit.
Paſtores veſtrâ contenti vivite ſorte.
Heu! bona neſcitis, queis velit aula frui?

IN NATALEM SUUM.

BIs ſeptem luſtra exegi volventibus âſtris,
Et tam longa ætas me probat eſſe ſenem;
Sed vigor ingenii firmæque in corpore vires
An non ſim juvenis vix dubitare ſinunt.
Atque utinam nunquam merear, dum vita manebit,
Vel riſus Juvenum, vel pudor eſſe Senum.

ALIUD.

Bis ſeptem adjectus luſtris elabitur annus,
Natalemque meum ver oriendo refert.
Gratia magna Deo, longæ qui tempora vitæ
Sic dedit, ut vixdum me rear eſſe ſenem,
Integro primæ remanent in corpore vires,
Nec minor eſt animi quam fuit ante vigor.
Quis credat viridis tot habentem ſigna juventæ
Vicinum tumuli me tamen eſſe mei?

ALIUD.

JAm ſidus genitale Aries dominatur Olympo :
Et ut ante placido me ſerenus aſpicit
Lumine, gaudentem felicis honore ſenectæ ;
Quindena quæ poſt luſtra nil veſtræ invidet
Ætati Juvenes. Quid tum ſi tempora vobis
Niger tegit capillus, incanus mihi ?
Sæpe cinis ſervat, quem carbo perdidit, ignem.
Corviſque nivei dulcius olores canunt.
Quamquam canities flos dicitur eſſe ſepulchri,
Morti ſacratam qui coronat victimam.
Hoc ego ceu grandi delector munere Divûm
Æternitatis candidatum me facit.

ORBIS EPITAPHIUM.

Jocatus cum Commirio aliquis quod licet ſeptuagenarius firmiſſimâ uteretur valetudine; Et tu, inquit, ſuum aliquando orbi inſcribes Epitaphium : nihil ille, ſed continuo ſequentes verſus ſcripſit.

ULtima lege Dei mundo cum venerit hora,
Et fabricator opus ſolverit ipſe ſuum.
Tum vero æthereâ præco delapſus ab arce
Horrendâ Elogium funebre voce canet.
Mole ſub hac cinerum jacet orbis in orbe ſepultus ;
Undas diluvii ſpreverat, igne perit.

ALIUD.

Hoc veluti tumulo jacet orbis in orbe ſepultus,
Quæris quid modo ſit ? quod fuit ante, chaos.

AD REGEM.

BElla alii, & fractos armis felicibus hoſtes,
Victricique canant oppida capta manu;
Et domitis data jura, & leges pacis habendæ
Arbitrio ſcriptas, Rex LODOICE, tuo.
Hæc memorant duri quos ſola tonitrua Martis
Audire, atque pari voce referre juvat.
Heroum ſoboles heros Armandus & ipſe *
Mirandum titulo te meliore facit.
Privatas dotes & facta domeſtica narrat,
Quæque homini tibi ſunt, quæq; decora patri
Et merito. partiris enim cum milite lauros.
Eſſe domi magnum gloria tota tua eſt.

* Abbas Subizius oratione publica in Sorbona.

PHILIPPO V.

REGI CATHOLICO

In Hiſpaniam abeunti.

EPIGRAMMA.

REgna dabant ſanguis, legeſque, & publica vota;
Sed mihi præcipuum jus meruiſſe fuit,

AD EMINENTISSIMUM

CARDINALEM MARCUM DELFINUM

SUMMI PONTIFICIS IN GALLIA NUNTIUM.

QUod ſacro, Delphine, humeros tibi veſtiit oſtro,
Datque ſuos inter Roma ſedere Patres:
Applaudunt cuncti, nemo invidet: hoc tua pridem
Virtus prometuit nobilitaſque decus.
Sed quamquā ex animo pulchrum tibi grator honorem
Pace tua dicam, ſit precor ille brevis.

AD ILLUSTRISSIMUM

ECCLESIÆ PRINCIPEM

F. HARLÆUM

PARISIENSIUM ARCHIEPISCOPUM, Ducem ac Parem Franciæ, Regiorum Ordinum Commendatorem, &c.

COMMONITIO.

ERgo tuos Virgo confidentiſſima vultus
Argutâ pingi poſſe putavit acu?
Et quod non valeant Bruni ſperare colores,
Hoc artis Phrygiæ non grave duxit opus?
Quas, FRANCISCE, tibi pœnas nova pendet Arachne?
Nam meruit: quamvis ſe neget eſſe ream.
Carcere perpetuo morituram præcipe condi:
Adde famem, frigus, vincla, flagella, cruces.
Ingenii nec te mitis natura moretur.
Supplicia hæc illi muneris * inſtar erunt.

* Erat illa Virgo aris conſecrata, & vitæ aſperioris amantiſſima.

DE HUGONE GROTIO.

QUem Luther, Arminius, pejórque Socinus Ario,
Quémque Geneva putat ſanctáq; Roma ſuum;
Has inter nutans dum vult componere ſectas,
Dic quâ Grotiades relligione fuit?

EXCUSATIO AD AMICUM.

PEccavi. Hæc tota eſt noſtræ excuſatio culpæ.
Efficerem majus, diſſimulando nefas.
Peccavi. hac flexit Jeſſides vace Tonantem.
Da veniam, & dignum te quoque finge Deo.

IN VATEM.

PALMA AB NURU BORBONIA PERCUSSUM.

CUi ferit os Nurus impactâ Borbonia palmâ
Palmarem hunc Vatem dicere cur dubites?

HENRICI MOMORANTII LUXEMBURGII DUCIS EPITAPHIUM.

HEroum ſoboles Heros MOMORANTIUS ipſe
Unus & invictis æquiparandus Avis
Hic ſitus eſt : dicent, ſi neſcis, fortia facta
Teuto, Batavus, Iber, Anglus, & Auriacus.

VULPECULA & LEÆNA.

FABULA.

ENixa Catulos complures Vulpecula
Sorti Leænæ inſultabat procaciter
Catulum quod illa parturiſſet unicum.
Aſt hæc malignè ſubridens repoſuit ;
Jactare prolis numerum ſtulta deſine,
Quam devorabit teque ipſam Leunculus.

***

Prçſtare numero virtutem hinc ediſcito.

PRINCIPI AURIACO
ELOGIUM FUNEBRE.

CUm fatis pulmone diu luctatus anhelo
  Vivere nunc demum deſiit Auriacus
Flagitium fortunæ, & noſtri infamia ſæcli
  Naſcendo vitam perdere dignus erat.
Scilicet illa viro virtus fuit unica, nullum
  Regnandi cauſâ credere turpe nefas.
Vindice ſub falſo dominum ſenſere Batavi,
  Libertaſque jugum neſcia ferre, tulit.
Dejecit ſolio fratrem genitricis avito
  Et potuit ſocerum deſpoliare gener.
Europæ in Gallos ter perfidus impulit arma
  Æterna infauſto fœdere bella ferens
At periit, non belli acie, non vulnere honeſto
  Turbatorem Orbis puniit ultor equus

IN ILLUD

THERESIÆ,

Aut pati, aut mori.

VOtorum hæc fuerat THERESIA ſumma tuorum,
Ni moriere pati, ni paterere mori.
Audiit hanc vocem ſupera divinus ab arce,
Et dulci figens vulnere pectus, aït:

Perpetuoque pati perpetuoque mori.

TRADUCTION.

S'il faut vivre, Seigneur, que ce ſoit pour ſouffrir;
Si je ne ſouffre plus que je ceſſe de vivre.
THERESE, *c'étoit là vôtre unique deſir;*
Mais l'Ange armé d'un trait qu'amour vous fit ſentir
De l'embarras de choix, dit-il, je vous délivre,
Le Ciel donne à vos vœux afin de les unir,
Et de ſouffrir toûjours & de toûjours mourir.

DIVINUS

AMOR PICTOR.

FRAGMENTUM.

QUiſquis ab hac oculos defixus imagine pendes;
Cernis Amoris opus, non ulli imitabile dextræ:
Parrhaſius licet aut magnus contendat Apelles
Artibus his queis naturam ſuperaſſe feruntur,
Et pictis olim vitam inſpiraſſe tabellis.
Scilicet ipſe ſuum cæleſtis Pictor in uno
Ingenium exhauſit vultu, majoraque poſſe
Deſperans ultro calamos, telamque reliquit.
Divus Amor ſuperâ Chriſtum ſpectabat ab arce:
Sub trabe ferali lapſantem, aque ægra trahentem,
Quamquam multo urget veſtigia verbere lictor
Barbarus. exundant laceratis artubus imbres
Sanguinei. Sputis concreſcunt lumina fœdis,
Horrent implexi crudo diademate crines,
Squalida barba ſitu: tenet ora ſilentia mœror
Vim factura polo, & durum flexura parentem,
Si valeant fari. Vel ſic tamen ille placebat,
Augebatque ſuum frons deformata decorem.
Certe ita credit Amor, neu ſit brevis iſta voluptas,
Pictura expreſſam parat æternare fideli.
Ergo fulmineo delabitur ocior igne,
Miſceturque ſatellitibus, nec cernitur ulli.
Et jam peniculum vulſis ſibi fecerat alis,
Spongia jam lævam . . . .
. . . .
. . . .

SIMEON

SUSPIRANDO EXPIRANS.

CUm tremulas Chriſtum Infantē accepiſſet in ulnas
Dans roſeis Simeon oſcula grata genis,
Vota imples famuli, dixit, ſumme arbiter orbis
Promiſſi vacuam nec ſinis eſſe fidem.
Quid moror in terris! nihil fas ibi, numine viſo,
Cernere, mors oculos claudat amica meos.
Vocem abruperunt ſuſpiria, vulnere Amoris
Exultantem animam ſaucius occubuit.
Fortunate Senex, tanta inter gaudia vitam
Exhalare; quis hoc dixerit eſſe mori?

INFANS JESUS

IN

AGRO DORMIENS.

MATRIS Virginis ubera
Dum preſſas tenera manu,
O infans Deus! & ſitim
Veſco nectare temperas:
Somnus ecce papavere
Vinctus tempora cœrulo
Gratas inſidias ſtruit.

Silvarumque loquacium,
Lympharumque fugacium
Inter murmura lubrico
Adrepens pede, molliter
Artus languidulos ligat:
Inque ſidereis ſibi
Sedem figit ocellulis.
Tam dulci violentiæ
Cur ſuccumbere ſit pudor?
Dormi. Terra tibi torum
Molli ſtravit amaraco,
Et natis Zephyri halitu
Late ſparſit odoribus.
Dormi Luſciniæ melos
Somnum ſuadet, & arduâ
Quod turtur tenerùm gemens
Carmen ducit ab ilice.
Dormis. At vigili excubat
Te circum ſtudio parens.
Et nutu & digito jubet
Cuſtos fida ſilentium.
Ah! ne quis temerario
Huc Paſtor veniens gradu,
Agreſti calamo ſtrepat.
Ah! ne graminis immemor
Mugitu feriat gravi
Rupes bucula concavas.
Quin, vos obſecro, lenius
Suſpirate Favonii.
Undas vos quoque lentius
Clivis volvite Rivuli.
Et tu, ne noceant meo
Solis tela puellulo,
Umbellam, cedre, deſuper
Paſſis objice brachiis.
Seu prolis reverentia,

Seu matris monitu, ſilent
Preſſis omnia vocibus.
  Natus Zacharia interim
Linquens matris anûs ſinum
Viſendi ſtudio advolat.
Monſtravit pietas iter,
Et vires amor addidit.
Quanquam lætitia ebrium
Hunc ne poſſe putes loqui.
Totis artubus ut micat,
Dum miratur hiantibus
Jam præſentem oculis Deum!
Ut riſu pueriliter
Laxat ſubtimido genas!
Et forſan roſeis dare
Tentet ſuaviolum labris,
Caſtus ni retrahat pudor.
At ſe, quod licet, infimos
Ultro projicit ad pedes
Confeſſus famulum: & ſacro
Signatum Domini gradu
Gaudet lambere pulverem.
Cum mox linquet eum ſopor,
Plantis imprimet oſcula.

IN COLUMBULUM
CUM
INFANTE JESU
COLLUDENTEM.

Dulcis Columbule ah! nimis beatus es?
Tuamque ſortem Cœlites ipſi invident.
Infans Patre Deo, Matre natus Virgine
Te fert in oculis, te ſuo in ſinu fovet;
Plumaſque tenera blandiens comit manu:
Blæſoque lallat ore, delicias vocans,
Suoſque amores. Caſta quin etiam oſcula
Et ipſe crebro libat, alterna & vice
Matri oſculandum ludibundus porrigit.
Ab illo ad illam ſæpe juſſus devolas;
Et ab illa ad illum rurſus exultim redis.
Utriuſque luſus & voluptas innocens,
Utriuſque dulcem carpis in dextra cibum.
At unde venit hæc tibi fiducia,
Tonantis humeris inſidere non times?
Quid ille rauco vult ſuſurrus gutture,
Plaudentium quid gratus alarum tremor?
Te nempe vultus aura cœleſtis trahit
Ac gemina ocelli ſidera: ardeſque, improbe,
Inſerere roſeis molle roſtellum labris,
Non deſiturus antequam expuleris ſitim
Epoto amore plenus, & Deo ebrius.
Dulcis Columbule, ah! nimis beatus es!
Tuamque ſortem Cœlites ipſi invident.

AD CHRISTUM CRUCIFIXUM.

DUm Chriſti meditor, mœſto flens corde, dolores,
Quos ſuus ah! pro me ferre ſubegit amor:
Téne, inquam, æterni ſoboles æterna Parentis.
In diro inſontem ſtipite cerno reus?
Cur ſceleri tormenta invadis debita noſtro,
Et nimia injuſtum te pietate facis?
Sat mihi peccando Patris meruiſſe furorem:
Funeris invidiâ parce gravare tui.

CHRISTUS AD PECCATOREM.

ASpice quos pro te pietas tolerare labores,
Quæ tormenta meus ferre coëgit amor:
Non puduit, crudo laceratum verbere, gentis
Sacrilegæ ſannas, ſputaque fœda pati.
Stant capiti vepres, diadema informe, cruento:
Sæva manus cuſpis trajicit atque pedes.
Denique ſupplicium ſervile expendo latronis:
Atque inſons plector qua cruce dignus eras.
Unum à te, tot qui meritis debetur, amorem
Poſco Deus. Potes hoc, dure, negare Deo?
En morior. Gelido fugiens dum ſpiritus ore
Dicit, Amo: ah! tandem vox tua reddat, Amo.

AD SANCTAM GENOVEFAM.

PAſcis oves, Genovefa, Agno paſcenda viciſſim;
    Quem grex virgineus gaudet habere ducem.
Has redolente thymo nutris & gramine veſco.
    Ille bonus numen præbet edule tibi.
Has tua præpingues, has reddit cura nitentes;
    Ornatam donis te beat ille ſuis.

IN PSALMUM LXXIII.

PARAPHRASIS
FRAGMENTUM.

HEu ! quianam tanto ille tibi dilectus amore
Grex ovium caulis longè à felicibus errat,
Et curas fruſtra balatu implorat heriles
Sollicito ? quem das finem ſperare malorum,
Quemve modum immenſo ſtatuis rex ſumme furoris ?
Sis memor Iſacidum, quos prima ab origine gentem
Protinus eſſe tuam voluiſti & jure dicatam
Perpetuo. te fatidicæ delubra Sionis
Æquatæque arces cælo Dominumque Deumque
Accepere adytis. leges hic ferre ſolebas
Regibus, & præſens populis oſtendere numen.
Nunc abes Aſſyriæ furiis & crimine pulſus
Quin age torpentem jamdudum concute dextram,
Hoſtilemque ſolo faſtum opprime. Nam quid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve probrive reliquit
Urbis excidio miſeræ templique ruina
Barbarus ? en feſtæ media inter gaudia lucis
Sacrilegæ irrupere acies ; & vocibus omnia
Implevere feris atque horrifico ululatu.
Continuo ſigna obſcœnis inſcripta figuris
Extollunt frontem ſuper & faſtigia portæ,
Et belli ſtatuunt, pulſo velut hoſte, trophæum
Te regnare polo immemores . . . . . .
. . . .
. . . .

PSAL. LXXIII.

UT quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ?

Memor eſto congregationis tuæ quam poſſediſti ab initio.

Redemiſti virgam hereditatis tuæ: mons Sion in quo habitaſti in eo.

Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem. Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto?

Et gloriati ſunt qui oderunt te, in medio ſolemnitatis tuæ.

Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognoverunt, ſicut in exitu ſuper ſummum.

S. ANTONIO PATAVINO

VOTUM.

VIrginis auſus eram Matris cantare triumphos,
Et de perdomita parta trophæa nece.
Nec mihi primævæ compoſta in flore juventæ
Carmina, dum relego, diſplicuere ſeni.
Jamque adeo prælum & lucem ſperare jubebam,
Dignaque, ni dulcis decipit error, erant.
Nunc duro queror infelix deperdita caſu:
Si caſus, Stygius non latro ſurripuit.
Forſitan ille datos Reginæ invidit honores:
Indoluitque mei cernere amoris opus.
Antoni tua res agitur: ſeu Virginis ultor,
Patronus dici ſeu meus uſque velis.
Aſſula ſæpe Crucis per te mihi reddita, vanam
Optati prohibet muneris eſſe fidem.

VIRGINI MATRI

COROLLA EX RUSTICIS FLORIBUS.

QUos tellus inarata tulit ſine ſemine flores
Noſtri, Virgo parens, munus amoris habe;
Ruſtica ſerta quidem, ſed myſtica. lucet in illis
Nati ortûs, partûs lucet imago tui.

DIVINATIO

IN S. JOANNEM BAPTISTAM.

Quis putàs puer iſte erit.

TOt qui inter rerum miracula naſcitur Infans;
Quæris venturo tempore quantus erit?
Sol cum felici conjunctus Virginis aſtro,
Ne dubita, huic ſpondet proxima fata Deo.

AD RR. PP.

MISSIONARIOS

SOCIETATIS JESU

PROFICISCENTES IN INDIAM.

ITe, viri, mundum Chriſto ſubmittere veſter
Sit labor. armatos quis Cruce ſuſtineat?
Victrices fuſo ſurgent de ſanguine palmæ:
Vitaque tormentis rapta triumphus erit.

IN VIRGINEM

DEIPARAM.

SI tegere humano voluit ſub corpore numen,
Debebat naſci Virgine matre Deus.
Si Virgo eſſe parens meruit ſine labe pudoris,
Unum ferre utero debuit illa Deum.

CHRISTO NASCENTI

SUFFITUS EX AMBRA

ET THURE.

MIcam Ambræ tenuem, Thuriſque exilia grana
Ad cunas, ſoboles Virginis, uro tuas.
Atque utinam flammâ merear conſumtus eadem
Meque probare tuum, téque probare Deum.

VIRGINI MATRI,

COROLLA EX ROSIS

ET LILIIS.

HAs ego, Diva, roſas, hæc lilia, pauperis horti
Qualeſcumque tibi dedico primitias.
Signa tui Virgo ne dedignare pudoris:
Ne regina animi ſperne tributa mei.

AD VIRGINEM

ASSUMPTAM

EPIGRAMMA.

HÆc tibi, Virgo parens, ſuſpiria mitto, triumphos
Dum celebrat cælo turba beata tuos.
Fors poterunt inter plauſus ingrata videri,
Illa ſed excuſat te procul æger amor.

AD AMICUM,

CUI

BEATÆ VIRGINIS IMAGINEM

DONO DEDERAT.

INfantis cum matre Dei tibi fictile ſignum
 Offero, delicias dulcis amice meas.
Pauperis exiguum munus ne deſpice pauper.
 Nil tua ſors recipit, nil mea majus habet.

AD CHRISTUM.

BAptiſtam Chriſte infantem complecteris infans;
 Et blande arrides, deliciaſque facis.
Ille verecundo demiſſus lumina vultu,
 Prodere quæ ſentit gaudia pœnè timet.
Novit enim melius qui ſis genitricis in alvo
 Exiliens nondum viderat ora Dei.

AD PECCATOREM.

Pendentem dura cur fles Cruce, ſi tua non fles
 Crimina quæ Domino promeruere Crucem?

In Imaginem Chriſti Cruci affixi, cui adſtant Maria, Joannes, Magdalena.

Ne ſolum pendere putes, quem cernis, ab alto
 Stipite. Crux fixos quattuor una tenet,

In imaginem Beatæ Virginis ſtantis ad Crucem.

Crux, Nate, es matris: mater, crux altera Nati es;
O nimis in pœnas ingenioſus Amor!

In ſanctum JESU *&* MARIÆ *nomen quod author ſculpſerat in fagi cortice.*

Primus amor meus eſt Deus infans, Virgo ſecundus;
Virgo ſinu infantem digna tuliſſe Deum.
O felix ſcripta amborum quæ nomina ſervas!
Cor mutaſſe velim cortice, Fage, tuo.

Aliud.

Creſce, vireſce, noti ſecura & fulminis Arbor;
Præſens in Chriſti nomine numen habes.

Aliud.

Ite graves nimbis & multo turbine Cori;
Sum Mariæ: veſtras rideo tuta minas.

Aliud.

Quod tenera ſcripſi Vates in cortice nomen,
In noſtro melius corde notavit amor.

In imaginem S. Ignatii militis armati.

Reſtitit his Franco victori Ignatius armis ;
Cum Stygias acies vicit, inermis erat.

Inſcribendum imagini quæ Saulum ex equo decuſſum exhibebat.

Saule jaces ſtratus divinæ fulmine vocis,
Et luges oculis ſolis abeſſe jubar :
Parce metu, non ſunt hæ mortis, Saule, tenebræ;
Indè tibi melior vitáque lúxque venit.

Imagini quæ referebat S. Joannem Baptiſtam in eremo concionantem inſcribendum.

Baptiſta ultrices intentat Numinis iras,
Sylváſque & ſcopulos ore tonante quatit.
Deſertis ne crede tamen diſperdere verba,
Judæa huic vacuis urbibus omnis adeſt.

In ſubmerſum Pharaonem.

Quo perituræ acies ruitis ? tuque impie Ductor
Qua ſpe tuta piis per freta quæris iter ?
Tandem adſunt fuſo infantum pro ſanguine pœnæ,
Niliacumque maris vindicat unda nefas.

Imagini quæ Moyſen legis tabulas perfringentem exhibebat inſcribendum.

Ingrati Abramidæ quæ vos dementia ſuaſit
Numine contemto, thus adolere bovi ?
Ecce ſacro allatas perfringit monte tabellas
Legifer, & Ductor queis erat, hoſtis erit.

B. P. FRANCISCO XAVERIO

VOTUM.

SI dederis finire meos Franciſce dolores,
Et vitæ optata proſperitate frui:
Perpetuum tanti celebrabere muneris auctor,
Cultu & præcipuo tu mihi Sanctus eris.
Ergo bonus fer opem. ſupereſt tibi namque poteſtas;
Mors fugit arbitrio vita reditque tuo.

INSCRIBENDUM IMAGINI QUÆ

PHILIPPUM V. REGEM

CATHOLICUM EXHIBEBAT.

REgna dabant ſanguis, legeſque & publica vota;
Sed mihi præcipuum jus meruiſſe fuit.

FELIX NEGLIGENTIA.

Tempora dum fando cum caris fallit amicis
Borbonides, lapſum ſenſit abire diem.
Poſcit equos bijuges; ſtabant ad frena: ſed illos
Qui loris noſſet flectere, nullus erat.
Immemor officij nequicquam auriga notatur,
Nobis & Domino ſerviit ille ſuo.

S. THERESIÆ

EUCHARISTICON.

Pro Amico, qui ejus feſta die graviſſimis capitis doloribus liberatus eſt.

ASpiciens fixo Sponſi Thereſia plagas
    Lumine, poſcebas ni paterere mori.
Vota tuus diverſa cliens feciſſe fatebor:
    Ne patiar, dixi: mors cita munus erit.
Ecce Deus, pluſquam petii, te ſupplice donat;
    Meque vetando mori, meque vetando pati.

IMITATION

Des mêmes Vers Latins.

Ou que je ſouffre, ou que je meure ;
S'écrioit Thereſe, à toute heure,
Dans les transports de ſa ferveur :
Et moy, loin d'imiter ſon zele
Pour mon adorable Sauveur,
Et d'aimer à ſouffrir comme elle ;
J'ay par un lâche ſentiment,
Demandé que la mort abregeât mon tourment.
Je meritois, SEIGNEUR, *qu'exauçant ma priere,*
Vous puniſſiez ma lâcheté :
Mais par un excés de bonté,
Vous m'avez fait la grace entiere
De la vie & de la ſanté.

M. l'Abbé REGNIER DES-MARAIS.

AUTRE TRADUCTION.

Contemplant les douleurs que ſouffrit vôtre Epoux,
Vous demandiez, Thereſe, avec impatience,
Ou de vivre dans la ſouffrance,
Ou de mourir pour luy, comme il mourut pour vous.
Trop foible pour former des vœux tels que les vôtres,
Si vous ne daignez pas m'exempter de ſouffrir,
Obtenez-moy la grace de mourir ;
Et que ce mal enfin me délivre des autres.
Mais, Thereſe, pour moy quelle eſt vôtre bonté?
La mort m'eût tenu lieu d'une faveur trop chere.
Le Seigneur, à vôtre priere,
Me conſerue la vie, & me rend la ſanté.

De la Chasse de la Compag. de Jesus.

AUTRE TRADUCTION.

DAns les tranſports du pur amour,
Vous demandiez, Thereſe, ou de ſouffrir ſans ceſſe,
Ou de perdre le jour.
Pour moy dans mes douleurs, accablé de triſteſſe,
J'ay dit cent fois, par un autre tranſport;
Plûtôt que de ſouffrir, Ciel donnez-moy la mort.
Thereſe cependant ſenſible à ma miſere,
Offre pour moy des vœux qui ſont reçûs;
Et par une faveur entiere,
Je vis & je ne ſouffre plus.

DE COURBEVILLE de la Compag. de JESUS.

AUTRE TRADUCTION.

SEIGNEUR, *diſoit Thereſe à ſon divin Epoux,*
Je veux ſouffrir ou mourir avec vous.
Dans ſes tranſports d'amour, trop foible pour la ſuivre
Accablé de douleurs, je demande à mourir.
Mais quoy, de tous mes maux je ſens qu'on me délivre!
Thereſe obtient du Ciel, que ſans ceſſer de vivre
Je ceſſe de ſouffrir.

DE LA ROCHE de la Compag. de JESUS.

AD GUILLELMUM

PRINCIPEM ARAUSICANUM.

Cedendum ſolio. Juris, Guillelme colorem
Qualiſcumque adimit mors inopina tibi.
Uxorem Sceptris poteras obtendere raptis,
Atque ſub hoc titulo diſſimulare nefas.
Nunc quando periit, ſi lex valet Anglica, pulſus
Regna pater; ſi fraus, debet habere ſoror.
Cede volens, tutum populi nec crede favorem,
Exemplo didicit perfidus eſſe tuo.

PAX
NUPTIIS SERENISSIMI
BURGUNDIÆ DUCIS
CONCILIATA.

PAx orbe pulſa bellicis furoribus
Polo ſedebat; qua die ac noctis pares
Metitur horas lance ſtellata Themis.
Unde efferatas cæde gentes intuens,
Ergo dominandi tanta mortales tenet
Cupido, dixit, vitam ut obliti brevem
In mutua alacres fata certatim ruant.
Ævum piget pudetque felix ducere,
Et ut ruinis obruant hoſtes ſuis,
Perire votum eſt. Talia gementi Deæ
Hymenæus ore lætior ſolito aſtitit,
Et parce lacrymis, inquit, ac queſtu ſoror;
Victis triumphans Ludovicus hoſtibus
Terriſque te reſtituit ac terras tibi.

IN CLEMENTIS XI. PONTIFICIS MAXIMI EFFIGIEM.

Et voce & lachrymis, Romà ſpectante tiaram
Detrectaſſe, iterum promeruiſſe fuit.

In eandem.

Blanditur, metuens majeſtas tanta timeri:
Clemens ſic hominum ſe probat eſſe Patrem.

HYMNI SACRI IN S. MARTINUM TURONENSEM EPISCOPUM

Ad ſingulos ejus Feſtivitatum dies compoſiti.

DIE FESTO TRANSITUS, & per Octavam.

11. *Novemb.*

HYMNUS I.

SOLENNE poſcit Canticum
Feſtiva MARTINI dies.
Cantemus: in Regis decus
Cedunt honores militis.
Nam, CHRISTE, munus eſt tuum;
Quòd ille tantus extitit;
Ipſiſque [a] par Apoſtolis
Tot claruit miraculis.
Parent [b] egeno Cæſares,
Tremunt inermem barbari,

[a] Sulp. Severus, Odo Clun.
[b] Valentinianus Imp. &c.

Verbo fugantur dæmones,
Mors victa leges accipit.
Illo monente, Gallia
Fregit deos quos fecerat:
Joviſque fulmen deſpuens
Vero Tonanti ſerviit.
Nunc urbibus cunctis, Turo,
Hoc invidenda Præſule,
Teſtare lætis plauſibus
Cælo Beatum vivere.
Sit Trinitati gloria,
Cujus fidem, tres mortuos
MARTINUS Orco retrahens,
Miris modis confeſſus eſt.

HYMNUS II.

COGI [a] piget, ſub Cæſaris
Vexilla, Chriſti militem:
Plus laureis victricibus
Juvat Crucis ludibrium.
Pius, pudicus, temperans,
Spernens opes, & gloriam,
In criminum licentia
Conſervat innocentiam.
Brumæ [b] furenti ſidere,
Durata quo ſtant flumina,
Artus rigent; ſed cor ſacri
Flammis amoris æſtuat.
Quæ ſola reſtabat chlamys,
Hanc enſe ſtricto dividit;

[a] Martinus Sabariæ Pannoniarum an. 316. natus, procedente patre miles factus eſt an. 331. *Baronius. an.* 326. inter Catechumenos fuerat adſcriptus.

[b] In porta Ambianenſium civitatis, poſtea ad Baptiſmum convolavit. *Sulp. Sev. in ejus vita.*

Lætus tegendo pauperem,
Veſtiſſe Regem cælitum.
In hac triumphans purpura
Se Chriſtus oſtentat ſuis:
Munuſque MARTINI polo,
Ingens tropæum, devehit.
Sit Trinitati gloria,
Cujus fides eſt gratia,
Confeſſioque ſanctitas,
Et viſio felicitas.

HYMNUS III.

PACEM [a] precantur barbari,
MARTINE, ceu prædixeras;
Nulloque tinctam ſanguine
Cedunt tibi victoriam.
I ſancte mundi transfuga,
Profana caſtra deſere:
Dati memorque nominis,
Soli Deo nunc milita.
Sub Pictonum pio duce,
Diſces Arium vincere;
Plagaſque temnens ac necem,
Chriſti decus defendere.
At, [b] quà licet, cultu Jovis
Veta parentes immori
Si contumax perit pater,
Matris ſaluti conſules.

[a] Anno 356. apud Vangionum civitatem (*Vormes*) cùm miſſionem peteret, ſervatur barbaris, qui in Gallias irruebant, inermis objiciendus. Hi poſtera die Juliano Cæſari ſeſe dedunt. Ille militiâ ſolutus Pictavum ſe confert ad S. Hilarium *Sulp. Sev.*

[b] Nec multò pòſt Pannoniam repetit, ut patriam parentesque à gentilitatis abſolvat errore. *Sulp. Sev.*

Sit Trinitati gloria,
Divina cujus gratia
Reis remittit crimina,
Juſtis rependit præmia.

HYMNUS IV.

PERFUSUS ora lacrimis [a]
MARTINUS aſtra ſuſpicit:
Et in beato patriæ
Defixus obtutu gemit.
O mors, ait, quid tamdiu
Differs levare vincula!
Amore Chriſti ſaucium
Privare vitâ munus eſt.
Quid tu minaci gutture,
Draco cruente, ſibilas?
Redi ſub umbras Tartari:
Me lucis aula devocat.
Et vos, flagrans quos caritas
Mihi dat eſſe filios,
Fletu moleſto parcite
Tardare patris gaudia.
Quòd ſi tamen noſtros adhuc
Orbis labores exigit:
Jam lauream prenſans manu,
Reddar libenter prælio.
Sic fortis, & ſuppar ſibi,
MARTINUS uſque perſtitit,
Nec pro Deo timens mori,
Sed nec recuſans vivere.

[a] In Condatenſi Diœceſis ſuæ vico, febre extinguitur ann. Chriſti 397. ætatis 81. Epiſcopatus ſui 26. menſibus 4. die 8. Novembris. Corpus ejus Turonos relatum ſepelitur in Polyandrio publico, 550. ab urbe paſſibus. *Greg. Turon. Alcuinus.*

Honor tibi ſit Trinitas,
Quæ viſa ſervulos beas:
Tuâ repletos gratiâ
Donans potiri gloria.

HYMNUS V.

NON opum, Chriſti pugilem, cupido,
Non honor tangit: calicemque fruſtra
Porrigit, dulci malè temperatum
Felle, voluptas.

Sunt [a] domus rupes, lapides cubile:
Fons ſitis, furfur famis eſt levamen:
Tegmen hirſutum lacerat caducos,
Non fovet artus.

Sic ſui fortis domitor phalanges
Proterit longo Stygias duello:
Terque de victa ſpolium reportans
Morte triumphat.

Arbitro [b] belli ſua fabuloſus
Templa Mars cedit, neque jam Tonanti
Debitas vero tenet impudicus
Juppiter aras.

Sub jugum Chriſti populos volentes
Blanda vis cogit. Pudor eſt, jubentis
Cuncta dum parent elementa voci,
Eſſe rebelles.

Fac, Dei proles Deus, ut fideli
Illius ductum ſtudio ſequamur,
Et mori fortes, dociles que vitæ
Ferre laborem.

Spiritus laudent Triadem beati;
Thure mortales celebrent & hymnis:

[a] Epiſcopus cùm eſſet, Monaſterium duobus extra civitatem millibus, quod Majus vocatur, ſibi ſtatuit. *Sulp. Sev.*
[b] Apoſtoli per Galliam munere fungitur. *Sulp. Sev.*

Ipſius laudi quoque gens opaci
Serviat Orci.

DIE FESTO TRANSLATIONIS Corporis B. Martini, quo die, & per Octavam, ejus in Epiſcopum Turon. Ordinatio, & Baſilicæ dedicatio celebrantur.

4. Julii.

HYMNUS I.

ERGO relliquias Præſulis inclyti
Ceſpes vilis habet? Corpora Tartari
Cùm devota rogis pyramides tegant,
MARTINO tumulus deeſt!
Non [a] hoc Perpetui relligio ferat,
Impenſis operum parcere neſcii:
Non fulvæ rutilas jungere laminæ
Gemmas [b] Eligius ſciens.
At non, ſi niteat marmore candido
Delubrum Solymis arcibus æmulum,
Turritumque caput nubibus inſerat,
Tanto par erit hoſpiti.
Si gazas Arabum, ſi Phrygias opes,
Et baccas, ſpolium divitis Indiæ,
Includas loculo, non tamen hic ſatis
Cæleſtem deceat virum.

[a] S. Perpetuus Turonenſis Epiſcopus ſublata veteri, ingentem S. Martini nomine Baſilicam dedicat, in eamque transfert B. corpus 4. Nonas Julii an. Chriſti 472. *Greg. Sigebert*

[b] S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus Dagoberto Francorum Rege impenſas præbente pretioſiſſimam Thecam confecit 7. Eccleſiæ ſæculo. *S. Audoenus in vita S. Eligii.*

Illi ſola Dei regia ſufficit:
Juſtas unde preces, votaque ſupplicum
Exaudit facilis. Spes quoque vincere
Ultro muneribus ſtudet.

Noſtris, SANCTE, procul finibus exige
Peſtes atque famem, bellaque triſtia;
Et quidquid prohibet vivere liberos
Caſtæ pacis in otio.

Æterno ſit honos perpetuus Patri:
Sit pars bis genito gloria Filio:
Sancto laus parilis Spiritui ſonet,
Sæclis omnibus ac locis.

HYMNUS II.

FRUSTRA latebras expetis,
MARTINE, ſol neſcit tegi.
Tibine vivas unicè
Natus ſaluti gentium?

En tota paſſim Gallia
Sacris profanis deditur:
Turoque diris undique
Obſeſſa monſtris ingemit.

Ergo a pedum manu cape,
Lupos Averni diſſipa;
Oveſque paſtor devias
Cæli reduc in paſcua.

Per ſaxa dumis horrida,
Per alta quære montium,
Ægras leva, fer debiles,
Vitæ redona mortuas.

Pro credito tibi grege
Quid non laboris perferes?
Totum paratus ſanguinem
Ejus ſaluti fundere.

a Epiſcopus conſecratur an 371. Greg. Turon.

Jugis tibi ſit gloria,
Mundi creatrix Trinitas:
Quæ te tuis Præconibus
Cælo fruendam detegis.

HYMNUS III.

Qui & die feſto Tranſlationis Capitis B. Martini canendus.

MARTINI cineres, oſſaque Tartaro
Formidata, coli feſta jubet dies.
Fumet thuribulis Aſſyrius vapor,
Lætis æra ſtrepant ſonis.
Cives ite boni; depoſito metu,
Sacris relliquiis oſcula figite:
Exornate novis fercula floribus,
Caſtis ſpargite lacrimis.
Accedant, mala quos ulcera, quos febres,
Morborumque cohors, funere triſtius
In luctu ſubigunt, inque doloribus
Ævum ducere languidos.
Felici melior jam feretro ſalus
Membris adveniet. vitaque, viribus
Naturæ domitis, è tumuli ſinu
Se mirabitur egredi.
Dulces exuviæ, præſidium piis
Quas Chriſtus populis, & decus addidit?
Ergo ſacrilegis hæreticus a furor
Prædam vos dabit ignibus?

a Patratum fuit hoc ſcelus 8. Calendas Junii Carolo IX. Rege, anno ſalutis M. D. LXII. *ſic Epigraphe appoſita in dextro latere Eccl. S. Martini Turon.*

Sed nil impietas barbara promoves.
MARTINO rabie creſcit honos tuâ,
Vivo defuerat laurea Martyris,
Illam mortuus obtinet.
Æternus ſit honos ingenito Patri:
Proli bis genitæ par quoque ſit decus:
Nec divine tibi, Spiritus, omnibus
Deſit gloria ſæculis.

DIE FESTO SUBVENTIONIS

B. Martini, cùm Turo ab Haſtingo Danorum Duce obſeſſa, S. Præſulis ope liberata eſt.

11. Maii.

GALLICÆ gentis pater atque cuſtos,
Flammeis virtus ſuper aſtra pennis
Quem tulit; vultu placido clientum
Annue votis.
Feſta lux, priſci memores triumphi,
Ad tuam pigros vetat eſſe laudem;
Cùm Deo per tè Turo ſalva geſtit
Solvere grates.
Patriâ Danus veniens ab Arcto,
Urbis ad muros tibi dedicatæ
Barbarus, præda ſtimulante, ſævis
Stabat in armis.
Non minax vallum, fluviuſque latis
Innatans foſſis, mora ſunt furori.
Pugnat incaſſum numero coacta
Cedere virtus.
Jam ferus ſummas tenet hoſtis arces:
Nulla ſpes victis, pavidumque vulgus

Ante reſperſas lacrimis, Patronum
Invocat, aras.
Supplices audis: Geticaſque vindex
E triumphali [a] feretro catervas
Mænibus pellis procul, & ſuperbo
Cum duce frangis.
Hinc honor campis, ubi ſacra tanti
Fert domus nomen, titulumque [b] Belli,
Te, tot in damnis, vicibuſque rerum,
Præſide tuta.
Laus Patri rerum domino perennis:
Par decus Nato, Patre non minori:
Æquus amborum ſit honos Amori,
Omne per ævum.

[a] Capſa & Corpus B. Martini mænibus impoſita.
[b] Gallicè *S. Martin le Beau.* Ibi Haſtingus cum copiis deletus eſt.

DIE FESTO REVERSIONIS
Corporis B. Martini è Burgundia.

13. *Decemb.*

HYMNUS I.

MARTINI reditu pſallite Virgines;
Votivum pueri dicite canticum.
MARTINUM reducem tinnula nuncient
Feſtis æra ſonoribus.
Burgundis procul hinc finibus exulem
Nunc tandem lacrimis urbs revocat piis.
Pompæ magna ſacræ pars Comes [a] inclytus,
Gratum pondus ovans ſubit.

[a] Ingelgerius Comes Andegavenſis corpus B. Martini Autiſſiodoro retulit. *Odo Cluniac.*

Arcæ par loculus mirificæ, ſuum
Latè prodigiis ſignat iter novis.
Bruma ver media floret, & induit
Sertis arva nitentibus.
Accenſæ ſubito lumine lampades
Produnt inſolitis gaudia motibus.
Morbi diffugiunt : ſe quoque ſanitas
Vel nolentibus ingerit.
Turpi pauperies quos alit otio,
Et lucroſa fovent ulcera deſides,
Sanari metuunt : ſed refugos ſalus
Deteſtata præoccupat.
Votis ſolliciti nos melioribus,
Imploramus opem, ſancte Pater, tuam.
Exaudiſque bonus : nec ſinis irritas
Spes vaneſcere ſupplicum.
His pro muneribus perpetuas decet
Divinæ Triadi reddere gratias :
Triplex quam meritis mundus honoribus
Numquam tollere deſinit.

HYMNUS II.

CUR in remotis tamdiu,
MARTINE, terris exulas.
Redi : tuaque recrea
Mæſtas oves, præſentiâ.
Qui te fugavit [a] Barbarus
Jam ſponte victus ſupplicat :
Plenuſque Chriſti numine,
Huic bella ſoli ſuſcipit.
Redi : Turo florum parens
Tibi roſas & lilia,
Tibi coronas lenibus
Aptas triumphis deſtinat.

[a] Rollo Normannorum Dux Chriſtianus jam factus.

Venis. adeſſe ſentiunt
Levata morbis corpora.
Lætos & adventus tui
Miracla cives admonent.
O ut beatum dulcibus
Pignus ſalutant oſculis!
Pias eunt in lacrimas
Soluta corda gaudio.
Fac, SANCTE, nobis hunc diem
Semper venire proſperum,
Tuoque da ſub nomine
Feliciter quieſcere.
Sit Trinitati gloria:
Quæ, quos abegit patriâ
Gentile crimen exules,
Reponit inter Cælites.

DIE FESTO TRANSLATIONIS

Capitis B. Martini è ſepulcro in vas aureum, an. 1323. annuente Joanne XXII. Sum. Pont. poſtulante, ac præſente Carolo Pulcro Rege.

1. Decemb.

FELIX Sepulcrum, quo ſalus
Et vita mundo profluunt:
Quouſque nobis invida
Sub nocte MARTINUM teges?
Ni, ſponte laxato ſinu,
Das ejus aſpectu frui:
Votis favens ferrum piis
Perrumpet obſtantes moras.

Audimur : è buſto caput
Præſul beatus extulit :
Solemque Sole clarior
Majore vincit lumine.

Curvate colla, Principes:
Tibique, Rex, ne ſit pudor
Illius ad veſtigia
Inſigne regni ponere.

Hic eſt Patronus Galliæ,
Francique tutor Imperî,
Quo protegente Lilia
Florere nunquam deſinent.

At vos, miniſtri Numinis,
Offerte pacis victimam:
Et pro recepto munere
Grates ad aram ſolvite.

Sit Trinitati gloria,
Sermonibus quam vindicans
MARTINUS & miraculis,
Adeptus eſt in præmium.

IN

SANCTUM GILDARDUM,

Rotomagenſem Archiepiſcopum.

HYMNUS.

SOL diem feſtum populis reduxit
Quo Stygis victor, domitaque felix
Morte GILDARDUS ſuperas triumphum
Egit in arces.
Ille majorum titulos, & aulæ
Divitem pompam generoſiore
Ambitu fugit, pretioſa Chriſti
Probra ſecutus.
Corpus & duro tenerum cubili
Et fame vexans, Ciliciumque ſetis
Triſtibus, blanda ſibi ne noceret
Peſte voluptas.
Ingenî dotes pius, & diſertæ
Copiam linguæ, calamumque cæli
Melle rorantem, Domini tuenda
Lege ſacravit.
Senſeras vocis, CLODOVÆE, pondus,
Cùm Deos calcans, & avita ſacra,
Mille curvaſti rutilam coronis
Sub Cruce frontem.
Tuque, quam cura propiore ſervat,
Neuſtriæ Mater: quoties probaſti,
Perditis jamjam peritura rebus,
Numen amicum?

Ergo

Ergo Paſtori meritum rependit
Grex memor cultum, duce quo beatos
Sperat æternum dominantis Agni
Cernere vultus.

Laus Patri rerum domino perennis:
Par decus Nato Patre non minori:
Æquus amborum ſit honos Amori
Omne per ævum.

HYMNUS II.

O Neuſtriæ clarum caput,
Amata cælo civitas
Paſtore GILDARDO, licet
Cunctis eas ſuperbior.

Præſaga veri ſomnia
Quem nunciaverunt patri,
Micantis inſtar ſideris,
Lucem daturum gentibus.

Vitæ ſub ipſo limine
Jam ſanctitatis indices,
Mirante mundo, præbuit
Geſtu notas & moribus.

In corpus aſper innocens
Pio rigore ſæviit.
Inſomniis, fame, ſiti,
Nutrita floret caſtitas.

Fruſtra nitor fallax opum,
Aulæque lubricus favor,
Certant movere pectora,
Scuto Fides quæ protegit

Victor Stygis, victor ſui,
Chriſti triumphatos jugo,
Cultu relicto Numinum,
Cum Rege Francos ſubjicit.

Fons vive rerum Trinitas,
Quæ viſa GILDARDUM beas,
Perennibus te ſæculis
Dona fruendam ſervulis.

HYMNUS III.

NE flete, cives, ne Deum
Urgete mæſtis queſtibus.
Paſtoris amiſſi vices
Alter ſubit præſtantior:
Cura fideli qui gregem
In læta ducat paſcua,
Longeque raptores lupos
Avertat ex ovilibus.
Exempla verbis prævia
Hortantur efficaciùs.
Quà ſanctus Antiſtes præit
Plebem puderet non ſequi.
Juſtis bonus, clemens reis,
Cunctiſque factus omnia,
Illis piandis victimam
Præbere ſe non abnuit.
O digna palmis caritas!
Cruenta mors ſi defuit,
Non defuere præmia:
Fecit voluntas Martyrem.
Fons vive rerum Trinitas,
Quæ viſa GILDARDUM beas;
Perennibus te ſæculis
Dona fruendam ſervulis.

IN SANCTUM PERFECTUM, Martyrem Cordubenſem.

HYMNUS.

FELICI celebrem nominis omine
PERFECTUM canimus. Corduba, fer tuo
Flores indigeti: plaudite, Cælites,
Veſtri Civis honoribus:
Qui molles fugiens delicias puer,
Clauſtri militiæ ſe dedit aſperæ,
ACISCLOQUE tulit ſub duce nobilem
Victa de Styge lauream.
Hic cæleſtis opes dum Sapientiæ
Immenſas avido pectore colligit,
Aris rite ſacris additur, hoſtiam
Dignus ferre Deo Deum.
Gentis perfidiam nec Mahumedicæ
Verbis & calamo frangere deſtitit:
Audax pro patriis relligionibus
Quidvis & facere & pati.
Fruſtra, Maure ferox, vincula Martyri,
Fruſtra mille cruces, mille rogos paras.
Quot plagis aperis viſcera, tot vias
Illi pandis ad æthera.
Æternus ſit honos ingenito Patri:
Sit par unigenæ gloria Filio:
Sanctæ Cor Triadis perſonet omnibus
Cæli regia ſæculis.

IN SANCTAM URSULAM, ET SOCIAS VIRGINES ET MARTYRES.

HYMNUS.

SI quid virginitas, & bene prodigum
Vitæ martyrium vos movet; URSULAM
Clara voce ducem dicite Virginum:
Matrem dicite Martyrum.
Quam Regum veteri ſtemmate nobilem,
Regalis thalamos dum peteret proci,
Felix naufragium ſub melioribus
Junxit auſpiciis Deo.
Terras Armoricæ jam prope tangere
Dotales poterat, cùm ſubitus rates
Turbo disjiciens, verſus inhoſpita
Rheni reppulit hoſtia.
Prædæ certus adeſt, ac vetita face
Obſcœnus Scythiæ miles inæſtuat,
Et de claſſe ſibi barbarus unica
Promittit ſpolium duplex.
Captivuſne decor, & dominos tremens
Ullo vim redimet munere Caſtitas?
Ni divinus Amor, doctaque vincere
Mundum ſubveniat Fides.
Turpes blanditias horret amantium,
Contemnit furias tela minantium;
Vincit morte ſua flagitio cohors
Vitam quærere neſcia,

O felix tua ſors, URSULA! Virginum
Quot tecum pelago millia duxeras,
Tot, cæli ſuperas ingrediens domos,
Ducis millia Martyrum.
CHRISTI, mixta roſis lilia quem juvant;
Et multo rutilæ ſanguine laureæ,
Puræ pura canant oſcula Virgines,
Laudent vulnera Martyres.
Æternus ſit honos ingenito Patri:
Sit par unigenæ gloria Filio:
Sanctæ Cor Triadis perſonet omnibus
Cæli regia ſæculis.

IN
SS. LIBERATUM, AMANDUM, VICTOREM, ET COLUMBAM
MARTYRES.

HYMNUS.

FELIX quadriga Martyrum,
Quæ purpurata ſanguine
Gaudes, triumpho nobili,
Portare Regem Cælitum.
Si quid Dei jam compotes
Tangit ſalus clientium,
Audite quas fundunt preces
Ad veſtra proni corpora.
Amoris ô dudum ſacri
Mactata telo victima,
AMANDE, quàm tecum juvet
Mori beato vulnere!
Tu LIBERATE, qui jugo
Mortalitatis liber es,
Nobis ſupernæ protinus
Jus civitatis impetra.

Tu, cui tuum victoriæ,
Nomen fuit præſagium
Fac, VICTOR, ut palmas quoque
Victis feramus hoſtibus.
Dignata virginalibus
Cæleſtis Agni nuptiis,
COLUMBA, cæli dextero
Monſtra volatu ſemitam.
Sit Trinitati gloria,
Quæ quos replevit gratiâ,
Suoſque fecit milites,
Coronat inter Martyres.

IN
SANCTAM SATURNINAM
Virginem & Martyrem.
HYMNUS.

NAM quò præcipitas immemor heu! tui,
SATURNINA, gradum? Matris ab ubere
Vix depulſa, frui luce data negas,
Et ſerò metuis mori.
Non hæc membra feræ ſufficiunt neci.
Deerit carnifici, quem feriat, locus:
Et cultros niveo pectore profluens
Lac plus quàm cruor imbuet.
Sed te cogit amor virginis in thorum
Sponſi per gladios ire, per & rogos,
Et quà purpurea ſignat iter cruce,
Hunc gaudens properas ſequi.

I felix : tenero corpore non diu
Pœnas ferre potes; vincere ſed potes.
Tantò purior & gratior hoſtia,
Quantò temporiùs cadis.
Æterno ſit honos perpetuus Patri :
Sit par bis genito gloria Filio :
Sancto laus ſimilis Spiritui ſonet
Sæclis omnibus ac locis.

IN

SANCTUM AUGUSTINUM

Hipponenſem Epiſcopum.

HYMNUS I.

CUR erubeſcis, Africa,
Tot eſſe monſtrorum parens ?
Abſterget hanc unum tibi
Infamiam miraculum.
Sol ortus à meridie,
Per te venit mortalibus ;
Fulgore qui quondam ſuo
Orci tenebras diſſipet.
Surgentis aſtri lumine
Uterque clareſcet polus ;
Et vim benignam ſentiens
Huic thura mundus offeret.

O ter beati! prævia
Queis lampas Augustinus eſt,
Vago deerrent ne pede
Per ſæculi caliginem.
Rerum Creatori ſonent
Hymnum perennem Cælites:
Qui caſtitatem Monicæ
Tali beavit filio.

HYMNUS II.

IS ergo deſertor Dei,
Is caſtitatis transfuga.
Preſſus jugo cupidinis
Qui ſervit, Augustinus eſt!
Timete quæ ſtatis polo
Minora caſum Sidera:
Sol iſte, plus æquo ſibi
Confiſus, umbris mergitur.
Quid ingenî divina vis,
Facundiæque profuit?
Quid liberali quas opes
Natura congeſſit manu?
In crimen, in pœnas ſuas
Hæc dona vertit inſolens;
Vanamque per ſcientiam
Neſcire doctus eſt Deum.
Tu Christe, vultu reſpice
Ovem benigno deviam:
Et nos Beatorum gregi
Per cuncta junge ſæcula.

HYMNUS III.

JAM parce luctu, MONICA,
Stabit fides oraculi:
Perire non umquam poteſt
Tot lacrymarum filius.
Quem parturiſti tamdiu,
Caſto gemens ſub pectore:
Bis mater hunc naſci Deo
Feliciùs lætaberis.
Sit Trinitati gloria
Quæ MONICÆ ſuſpiria
Et lacrymas exaudiit,
Natoque vitam reddidit.

HYMNUS IV.

TANDEM! rebellis pectoris
Victrix triumphat Gratia,
Ultroque captivus jugum
AURELIUS geſtit pati.
O grata CHRISTI ſervitus!
Quæ nos ab Orco vindicans,
Et liberos verè facit,
Cæloque cives aſſerit.
Da, Liberator unice,
Vinclis ſolutis criminum,
Carniſque fracto carcere,
Regno Patris ſuccedere.

HYMNUS V.

CURIS procul mortalium
Et ſæculi tumultibus,
Negotioſo deſtinas
In otio quieſcere.
Opem tuam ſed poſtulat
Periclitans Eccleſia,
Et vindicem te Gratia
Suos in hoſtes evocat.
Fac, ô Pater, Deum prece
Nobis tua placabilem:
Qui ſanctitatis te dedit
Suis Miniſtrum ſervulis.

HYMNUS VI.

AURELIUS linguâ tonat,
Et ore vibrat fulgura:
Stiloque non parcit gravi
Urgere gentem perfidam.
Quos ſchiſmatis, vel hæreſis
Armavit in CHRISTUM furor,
Cæleſtis omnes eloquî
Virtute fractos proterit.
Æterna, JESU, Veritas,
Ardenſque ſemper Caritas,
Eccleſiæ fac in fide
Servemus ut concordiam.

HYMNUS VII.

RUENTIS AUGUSTINE, fles
Heu! triſte fatum patriæ,
Et Numen iratum piis
Lenire tentas lacrymis.
Fruſtra. Subire Vandali
Crudele damnatur jugum:
Ut quæ Deo non ſerviit,
Servire diſcat barbaris.
Hipponis haud tamen tui
Mærens videbis funera:
Ab hoſte nam diro nefas
Urbem capi, cui præſides.
Ergo parato fulmini
Da morte felici locum:
Pœniſque dimittens reos,
Ad certa curre præmia.
Sit Trinitati gloria,
Quæ fata mundi temperat,
Solo rebelles atterens,
Cælo fideles inſerens.

HYMNUS VIII.

NUNC ex Olympi vertice
Felicitatis jam ſatur,
Deoque plenus, ô Pater,
Noſtros labores aſpicis.
Oves tuas, Paſtor, rege,
Rudes, Magiſter, edoce:
Servos Patronus protege,
Sanctoſque Sanctus effice.

Laus, qui creavit te, Patri,
Et qui redemit, Filio,
Cum Spiritu, qui te ſuo
Replet, beatque numine.

IN

SANCTAM URSULAM

ET SOCIAS

VIRGINES ET MARTYRES

HYMNUS I.

QUÆ turba nuptialibus
Permulcet aures canticis,
Teſtes pudoris integri
Cum liliis ferens roſas?
Agnoſco Sponſas Virgines,
Quæ, ſi ſua negabitur
Augere prole Galliam,
Cælum replebunt civibus.
Ut Luna flammas ſiderum
Inter minores emicat:
Sodalibus ſic URSULA
Cunctis præit formoſior.
Et illa regali quidem
Proco petita ducitur:
Sed dignioris in thorum
Meretur ire conjugis.
Fons ſanctitatis Trinitas,
Te deprecamur ſupplices,
Nos URSULÆ conſortio
Ut des beato perfrui.

HYMNUS II.

PORTUM refixis anchoris
Pinus ovantes deſerunt :
Tellus fugit, ſub palmulis
Sulcata canent æquora.
Mœſto parentes quà licet
Viſu ſequuntur pignora :
Votiſque flentes anxiis
Curſus precantur proſperos.
At ecce cum magno ruens
Fragore tempeſtas furit :
Cæciſque quaſſas fluctibus
Differt in incertum rates.
Nautis metu pallentibus,
Secura perſtas, URSULA :
Et turbidi maris minas
Affixa cælo deſpicis.
Nos, arbiter ponti Deus,
Hujus per undas ſæculi,
Ducente donet URSULA,
Lætos polum contingere.

HYMNUS III.

TAMDEM redit ſerenitas,
Ventique miteſcit furor :
Sed majus à portu venit
In naufragas periculum.
Inhoſpitali litore
Crudelis Hunnus excubat,
Et morte pejus inſolens
In Virgines parat nefas.

Averte Proles Virginis,
Sponſis tuis ludibrium:
Et pura puris mentibus
Fac nos tueri corpora.

HYMNUS IV.

MILES decorum barbarus
Ut vidit agmen, reſtitit:
Prædæque captivus ſuæ,
Ex hoſte factus eſt amans.
Cur ponitis vultus truces?
Cur arma dextris excidunt?
Horrent amari Virgines:
Plus veſter his furor placet.
Qui debilem turbam, Deus,
Flammis novis accenderas,
Fac noſtra puris ignibus
Ardere pro te pectora.

HYMNUS V.

QUOT fregit uno Caſtitas
Inermis hoſtes prælio!
Quot impiis de barbaris
Fides tropæa rettulit!
Non illecebris blandiens
Mentes voluptas molliit:
Non ſæviens crudelitas
Præſente leto terruit.
Sic, CHRISTE, quos tuo reples
Amore, fortes efficis.
Da cordibus noſtris quoque
Pellat timorem caritas.

HYMNUS VI.

IO! triumphat URSULA,
Vixtrixque carnis & Stygis,
Quam præferebat nomine
Lauro revinxit tempora.
O mors beata! proprio
Quæ conſecravit ſanguine
Tot caſtitatis hoſtias
Et caritatis victimas.
Laus tibi ſit, Rex Virginum,
Laus tibi ſit, Dux Martyrum,
Mundans amore Virgines,
Ungens cruore Martyres.

HYMNUS VII.

I, debitas cæli pete,
Cohors triumphalis, domos,
Terraſque viles deſerens
Æterna regna poſſide.
Et tu caduci non bene
Thoro dicata Principis:
Addiſce jam caſtis frui
Regnantis Agni nuptiis.
Olim tuo de nomine
Gens ſancta ſurget, fœdera
Quæ reſpuens connubii,
Æquabitur Cæleſtibus.
Ergo memento cum Patre
Placare nobis Filium:
Nec parce Sancti Spiritûs
Efflagitare munera.

HYMNUS VIII.

NUNC, ô Beatæ, ſupplicum
Piis favete cantibus;
Roſaſque mixtas liliis,
Pudica dona, ſumite.
Seu nos clientes dicere,
Seu, quod ſumus, ſervos placet,
Sit in clientes caritas,
Servi patronas ſentiant.
JESU Deo ſit gloria,
Qui dum triumphos URSULÆ
Sodaliumque dicimus,
Ad æmulandum provocat.

IN SANCTUM NICASIUM, ROTOMAGENSEM EPISCOPUM ET MARTYREM.

HYMNUS I.

CLARAM NICASII martyrio diem
Exultans celebrat Cælituum chorus:
Et nos lætitiam, quà licet, æmulis
Promamus quoque canticis.
CLEMENTIS monitu, non ſine numine,
Linquens Italiam, limite Galliæ
Extremo poſitis gentibus aureum
Invexit Fidei jubar.

Umbrarum tumidus ſcilicet arbiter,
Mortales miſeros nocte gravi premens,
Omne præcipites egerat in nefas,
Credi ſic meruit Deus.
Ut ſignum rutilat mirificæ Crucis,
Orci diffugiunt monſtra paventia:
Panchæiſque coli ſueta vaporibus,
Ad pœnas redeunt ſuas.
Jam rerum domino Neuſtria ſerviens:
Dignis obſequium præſtat honoribus.
Jam, ſub Nicasio, Rotomagi levat
Victrix relligio caput.
Nequicquam furiis percitus impios,
Feſcenni, gladios ſtringis; & horridas
Exterrere paras mortis imagine,
Vitæ prodiga pectora.
Quantò plus feritas barbara ſæviet,
Tantò ſe pietas efferet altiùs.
Fiet, de laceris Martyribus fluens,
Semen Chriſtiadum, cruor.
Divinæ Triadis terra, polus, mare,
Non fictis reſonent undique laudibus:
Quæ palmis decorat perpetuis necem,
Pro ſe, non timidos pati.

HYMNUS II.

QUò vos terror agit? ſtate coloni,
Serpentem, vacuis qui furit arvis,
Chriſti Nicasius nomine fidens,
Armatuſque Crucis robore, vincet.
Sancti Pontificis, cernite, palmas
Ut rictu placido lambere geſtit!
Ut molli tremulæ verbere caudæ
Blanditus, recipit vincula collo!

Jam non inficiet peſtifer amnes:
Non uret calidis flatibus herbam:
Non carpens rabido corpora morſu,
Tetris interimet ſparſa venenis.
En nullo periit ſaucius ictu,
Vis eſt tanta ſacris addita verbis!
Securi per agros ite coloni:
Puri grata dabunt pocula fontes.
At tu, qui Stygium, CHRISTE, Draconem
Extinxiſſe tuo ſanguine gaudes;
Purga quod ſupereſt peſtis avitæ,
Et triſti famulos eripe leto.
Sic, quacumque patet maximus orbis,
Te mortale genus ſemper adoret.
Sic, Patri ſocio junctus amore,
Vivas, cunctaque per ſæcula regnes.

HYMNUS III.

CLARE Martyr, ſancte præſul,
Neuſtriæ fiducia,
NICASI, prona clientum
Aure voces excipe:
Qui pio tibi dicatum
Carmen ore concinunt.
Patriam, Deo monente,
Exul ultro deſerens,
Obrutas gentes tenebris
Lumen ad verum vocas.
Crux triumphat, éque templis
Vana pellit numina.
Præſes hanc Chriſto profanus
Invidet victoriam:
Ultor & Jovis, cruenta
Morte damnat Præſulem.

Nobilem cælo coronam
Sic parari neſciens.
Mira res ! caput reciſum
Ferre Martyr cernitur.
Flumen obvios eunti
Sponte pandit gurgites.
Cælitumque ſtructa curâ
Corpus ædes excipit.
Ite plebes , & beato
Conſecratum pignore ,
Ferte flores ad ſepulcrum ;
Thus , faces , incendite.
Tantuli vobis redibit
Magna merces muneris.
Sempiterna ſit Parenti
Sempiterno gloria :
Cultus æquævo perennis
Deferatur Filio :
Utriuſque par Amori
Laus ſonet per ſæcula.

IN FESTO
B. ALOISII GONZAGÆ.
HYMNUS.

Vos ô ſydereas qui colitis domos,
O vos aligeri plaudite principes:
Sacris, dante Deo, cœtibus additur
Non impar Aloïſius.
Veſtris ordinibus dum cupit inſeri,
Hunc non corporei ſarcina ponderis,
Non fictis tenuit blanditiis Caro,
Non aulæ meritus favor.
Vix eſt præterito firma decennio
Ætas, igniculos Carnis ut arceat,
Flori virgineo proſpicit, & fidem
Voto protinus obligat.
Vitam non aliâ lege velit, niſi
Artus ut teneros aſſiduus domet:
Sic dum perpetuam ſponte ſubit crucem,
Jeſu ſocium probat.
Feſtinat titulis cedere grandibus,
Importuna ſibi nomina reſpuit;
Spes ipſas reſecat, liberius ſequi
Chriſtum quò valeat ducem.
Sic nos Chriſte regas, dum ſumus exules,
Ut cælo placeat reddere ſingulos.
Divinam Triadem tunc meritis ſimul
Extollemus honoribus.

IN EODEM FESTO

Hymnus alter.

O Pratis latitans in penetralibus,
Fermè jam proprii Sanguinis immemor,
Cunctis obſequio ſubditur, & ſuo
Securus fruitur Deo.
At lux tanta diu non latet; emicat
Virtus è tenebris clarior; & ſibi
Dum conceſſa tegit dona, ſimul novo
Cæli munere proditur.
Totus nempe, ſacris æſtuat ignibus;
Anguſto renuit carcere comprimi,
Erumpitque foras ardor, & obvia
Paſſim pectora corripit.
Ferventem juvenis non valet impetum
Morbi pallida vis ſiſtere; funera
Nequicquam cumulat funeribus diu
Graſſans per populum lues.
Hæc inter ſolito lætior it dies.
Ægros nunc animos alloquio levat,
Ægris nunc facilem corporibus manum,
Vitæ prodigus, admovet.
Mox febris ſubit hinc tabida, ſaucio
Addit vulnus amor, nec patiens moræ
Urget, dum gemino vulnere Victima
Jam matura diu cadat.
Vitam da ſimilem, da Deus exitu
Claudamus ſimili: tunc Aloïſio
Adjuncti ſocio dulcia cantica
Æternum geminabimus:
Rerum ſumme potens, te, pater optime,
Et te, Nate Deo, te quoque, nam decet,
Non utroque minor Spiritus, omnia
Semper ſæcula prædicent.

PARAPHRASIS

HYMNI.

Ave maris Stella.

Virgo bis nati genitrix Theandri,
Seu triumphalis ſuperæ Sionis
Porta, ſeu mavis cynoſura dici
Myſtica, ſalve.

Ave maris Stella,
Dei mater alma,
Atq; ſemper Virgo
Fælix cæli Porta.

Quam tibi dixit Gabriel ſalutem,
Dicimus: Tu nos, Bona, ſontis Evæ
Pace donatam, meliore Prolem
Nomine dona.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen
Evæ.

Deme quas ſontes patimur catenas,
Et diem cæcis, oculoſque redde;
Nos malis fractos releva; boniſque
Omnibus auge.

Solve vincla reis;
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Eſſe te monſtra precibus parentem
Editus nobis tuus ille, vocem
Matris agnoſcet, neque vota ſurdâ
Reſpuet aure.

Monſtra te eſſe matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus tulit eſſe tuus.

Dote ſi numen tibi ſingulari,
Virgines inter dedit eſſe mitem,
Solve nos vinclis ſcelerum, tuiſque
Dotibus orna.

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.

Vitā præſta purum,	Virgo da puram ſine labe vitam,
Iter para tutum,	Tramitem tutum ſuperas ad ædes
Ut videntes Ieſum	Pande, ubi mentes, oculique, Jeſu
Semper collætemur.	Gaudia libent.

Sit laus Deo Patri	Interim laudes Triados canamus,
Sūmo Chriſto decus	Et Patrem & Natum, parilemq; utriq;
Spiritui Sancto	Spiritum cultu ſimul omnis uno
Tribus honor unus.	Orbis adoret.

SANCTISSIMÆ VIRGINI

DEI-PARÆ

ECCLESIÆ BOLONIENSIS

PATRONÆ.

HYMNUS PRIMUS.

VENIT feſta dies. nunc, age, labere
Cælo Virgo-parens, ſupplicibus vocat
Quo Bolonia votis,
Cultu nobilis Urbs tuo.
Hîc delubra tibi thuris odoribus
Fumant perpetuis: hîc & Imaginem
Ardent nocte, diéque
Circum mirificam faces.
Illam, ludibrio ne foret impiis,
Septam nube cavâ ſuſtulit Aliger *,
Errantiſque profundo
Commiſit fidei ratis.

* Hiſt. D. N. Bolon. p. 18.

Veli

Veli pinus inops, remigio carens
It ſecura Noti per tumidum mare,
Monſtratoque reponit
Pignus littore creditum.
O ſignum populis grande fidelibus
Curæ, VIRGO, tuæ! Nil Erebi minas,
Hoſtilemve furorem,
Hoc ſub præſidio timent.
Priſcis in Morinos adde favoribus
Munus non levius: da tibi ſerviant,
Solâ Prole minorem
Da te perpetuò canant.
Æternus ſit honos ingenito Patri,
Bis nato parilis gloria Filio,
Et ſancto ſit Amori,
Sæclis omnibus & locis.

HYMNUS II.

VIRGO terrarum, pelagíque cuſtos,
Quam vocat matrem ſoboles Tonantis,
Ad preces gentis famulæ benigno
Reſpice vultu.
Has enim præſens coluiſſe ſedes
Diceris, poſtquam tua turbulenti
Per maris fluctus tenuit propinquum
Littus Imago.
Sentiunt promptum populi levamen
Rebus afflictis, ſterilis fefellit
Cum ſeges ſulcos, pluviuſ-ve peſtem
Attulit Auſter.
Urbis in cladem tibi dedicatæ,
Bella dum ſævis meditatur armis,
Non ſemel fugit tonitru minaci
Territus hoſtis.

Te colunt Reges, pedibuſque proni
Sceptra ſubmittunt. tibi pro tributo
Aureis ſacras onerare gaudent
Cordibus aras.
Supplicum votis facilis moveri
VIRGO; ſi noſtri placuêre cantus,
Fac tui cælo celebremus olim
Feſta triumphi.
Laus Patri rerum Domino perennis,
Par decus Nato Patre non minori,
Æquus amborum ſit honos Amori
Omne per ævum.

IN SANCTUM

SYMPHORIANUM

MARTYREM.

HYMNUS I.

CUR gloriaris Hædua *
Romæ dediſſe Principem?
Majus tibi partum decus;
Cœlo dediſti Martyrem.
Hic Chriſtiani nominis
Profeſſor audax, numinum
Nefanda ſacra deſpuens
Virum puer ſe præſtitit.

* *Autun*, Galliæ civitas.

Non oſſa frangens carnifex,
Non igne lento ſæviens,
Latuſque ſulcans ungulis
Fidem revellit pectore.
Sed irretorto vulnera
Blandoque ſpectat lumine:
Sic pulchrius fixum cruci
Chriſtum referre geſtiens.
O ſi pari ſanctum ducem
Detur ſequi conſtantia!
Jugoque mortis exui
Vitæ brevis diſpendio.
Sit Trinitati gloria
Quæ Martyrum victorias
Suo favore promovens,
Jugi coronat præmio.

HYMNUS II.

DUm feſtum Cybeles impietas colit
Pollutis adolens non bene thus focis
Sacrum Symphorianus
Riſit ſacrilegum puer.
Gens pulchrum facinus perfida non tulit,
Inſontemque reum corripuit furens,
Et plagis oneratum
Atro carcere condidit.
Fruſtra blanditur Præſes, & horridi
Flecti poſſe putat ſupplicii metu:
Chriſti Martyr amore
Nil ſperat, metuit nihil.
Damnatum capitis plena Deo parens,
Nutu, voce, mori fortiter admonet,

Mercarique perennem
Fuſo ſanguine lauream.
Fortunate Puer! nunc patientiæ
Victrici recipis debita præmia,
Regnantis per Olympum
Agni perpetuus comes.
Æternus ſit honos ingenito Patri,
Sit per bis genito gloria Filio;
Amborum ſit amori
Æqualis reverentia.

HYMNUS III.

FAuſti parentis gloria
Urbis corona patriæ
Miracla cantantes tua
Vultu benigno reſpice.
Quid non potes, quid non facis,
Claudus ſalit, cæcus videt,
Vox rapta muto redditur,
Laxant ſepulchra mortuos.
Sacro notatam ſanguine
Servavit ignis cappulam,
Non ſenſit argentum leve
Rogos vorantes marmora.
Tu ſpes ſaluſque civium,
Te protegente mœnibus
Hoſtilis arcetur furor,
Lues fameſque pellitur.
Defende, Sancte, Demonum
A fraude dira ſervulos,
Puriſque labis criminum,
Sedes beatas impetra.
Sit Trinitati gloria

Quæ Martyrum victorias
Suo favore promovens
Jugi coronat præmio.

IN
S. MAXIMUM
MARTYREM
HYMNUS.

MAXIMI laudes celebremus hymnis,
Igneo vittus ſuper aſtra curru
Quem tulit; tellus poſitis patronum
Invocat aris.
Ille, ne ſæcli male blandientis
Peſtilens mores vitiaret aura,
Sponte Lerini latuit reductis
Abditus antris.
Hîc Honorato docilis magiſtro
Se dicat ſacræ ſtudiis palæſtræ,
Aſpero fortis Stygios in hoſtes
Stare duello.
Continens, parcus dapis atque ſomni
Tectus hirſutæ ſpolio capellæ,
Dat preci noctes, operique duro
Tempora lucis.
Carne ſic liber domita jacentes
Deſpicit terras, fruiturque cælo,

Hauriens toto penitus refuſum
Pectore numen.

Corporis moles, ſcelerumque pondus,
Sancte, nos urgent: miſeros clientes
Alleva felix, ſuperiſque tecum
Sedibus infer.

Laus Patri rerum Domino perennis,
Par decus Nato Patre non minori,
Æquus amborum ſit honos Amori
Omne per ævum.

IN GEMINUM
LIBELLORUM FAMOSORUM
SCRIPTOREM.

PRoles Tonantis, cui dedit certâ pater
Librare fulmen dextrâ, & ulciſci reos;
Erumpe cœlo, quoſque liquiſti, ob ſcelus
Reviſe terras. Cauſa non revocat minor
Quàm quæ fugavit Non ſat averſo procul
Damnaſſe vultu ſcelera: puniri decet.
Erumpe Themidis futile ac vanum proba
Non eſſe nomen. Quamdiu ſeſe effert
Alaſtorum par; & venenatis pios
Impune calamis, ac ſtilo immiti petet.
Quos mente tacita cogitem noſti Dea.
Quamquam latere non ſinit notus furor,
Rabieſque nulli æquanda. diſſimiles licet
Aliunde, diſcordeſque, communis pares
In mentiendo fecit impudentia.

'Ambo fugitivi, gallico extorres ſolo,
Exilia quæſivere ſupplicii metu.
Et inter hoſtes, quam negabat Patria,
Calumniandi repperere licentiam.
Hæc illa nempe Batava libertas, pati
Quæ nulla frena juris ac legum poteſt:
Injurioſa regibus, bello Deum
Laceſſere audax impio: fraudes, dolos,
Lucroſa dum ſint, approbans. cuncta hæreſium
Portenta gremio facilis amplecti ſuo.

TENEBRÆ DISCUSSÆ.

VIx Jovis artifici dextra concreverat orbis
Cum deforme chaos, feraliſque horrida partu
Nox umbram ut genuit; Stygiis ſimul illa cavernis
Emiſſa eſt, vidit quam pulchris ſidera Cœli
Ignibus arderent, ut purum argentea lumen
Spargeret, atque novo radiaret in æthere luna.
Vidit, & invidiæ ſtimulis accenſa dolorem
Colligit, atque ſibi nullius conſcia formæ
Cum foret, æthercam tendit corrumpere lucem.
Ergo atras nubes, denſoſque immittere fumos
Cœpit, ut aſtrorum lætam caligine frontem
Inficeret. jamque obſcuro morientia cælo
Sidera rara micant, pallorque impurus honeſtos
Suffudit vultus, adeo vis atra veneni
Incumbit, mœretque latens ſub nubibus æther
Non ſortita Jovis cognomen ſtella, neque arctos
Conſpicuâ rutilans flammâ, non lucifer ipſe eſt
Intactus, ſtelliſque licet magis omnibus unus
Splendeat, & nitido lucem pulcherrimus axe
Nunciet, ecce tamen tenebrarum viribus impar

Occuluit frontem languenti pallidus aſtro.
Ter contra obniti conata eſt luna, malignis
Si forſan tenebris ſeſe ſubducere, & umbræ
Deſugere inſidias adverſo lumine poſſit,
Ter vanus periit conatus, & ipſa viciſſim
Deliquium paſſa eſt, nebuliſque obſeſſa perennem
Inde notam, & primæ retinet veſtigia labis.
Jam victrix ovat umbra, canitq; ſuperba triumphum,
Majoreſque animos, cœptis felicibus audax,
Concipit, atque ipſum tenebris involvere ſolem
Apparat, hinc facilem ſperans temeraria palmam,
Continuo fumos humentibus elicit antris,
Et magnum gelidis convallibus excitat agmen
Nimborum, totumque chaos, noctiſque nigrantem
Progeniem, & fuſcas jubet invigilare cohortes,
Quæ ſubito properent orientem invadere ſolem
Turbine, & oppoſita radios extinguere nube.
Aſt ille æquoreis frontem vix extulit undis
Hoſtiles ſubitus cum turmas occupat horror.
Defugiunt aliæ, & ſeſe ſub tartara condunt,
Præque pudore latent, ac cetera, ſi qua ſuperſunt
Diſpergit victor lucentibus agmina telis.
Umbra autem, turbas quas moverat autor, ab ipſo
Deprehenſa eſt fugiens, manibuſq; ad terga revinctis
Ducitur ad currus, inviſaque lumina ſolis
Juſſa ſequi, infelix paulatim abſumitur igni.

INVITATIO AD POËTAS, UT B. VIRGINIS LAUDES CELEBRENT.

PHoſphore conde tuos, & eoæ lampadis ortus
Conde jubar, noſtro nova lux caput extulit orbe;
Mœrenteſque beat propiori ſydere terras.
Exulta, ô tellus, tenebraſque oblita priores
Optatum mirare diem, qui plenus in ortu
Alta tenet, nullaſque facit clariſſimus umbras
Exulta, ô tellus, meliores indue vultus.
Ecce tuum tandem ſolem, tua lumina noſti,
Lumina, in occiduis nunquam mergenda tenebris.
Nam tibi ſeu clarum cupias ſplendeſcere *a* ſolem,
Sol erit, heſperiis qui nunquam merſus in undis,
Servet inextinctos mediis in fluctibus ignes.
Seu tibi creſcentem cupias clareſcere *b* Lunam,
Luna tibi ſine labe micat, vicinaque Soli
Creſcit in immenſum donec totum impleat orbem.
Quare age qui cœli curſus metiris, & artes
Uraniæ doctus, Muſas extendis Olympo,
Qui canis errantem Lunam, Soliſque labores

a Electa ut Sol. *b* Pulchra ut Luna.

Deſine ſublimi vaga ſydera, ſiſtere verſu
Quæ fugiunt, noruntque ſuas poſt lumina noctes:
Te cœlo majora vocant, illuſtre Mariæ
Sydus, inexperto jubet altius ire cothurno,
Et rutilum ſine nube decus, ſine veſpere ſolem
Pingere, nec quamvis omni ſit major Apelle
Materies, deſiſte, dabit tibi Virgo colores
Calliope ſi Muſa negat, placitoque labori
Aſpirans, ſacro vegetabit corda furore.

Quin etiam ſi Caſtalios haurire liquores *a*
Te prohibent, ſacrum ſacro de fonte liquorem
Ipſa dabit, quem præcipiti non Pegaſus ungue,
Non fera turbavit, ſed qui procul ire prophanos
Imperat, & puris tantum ſe pandit alumnis.

Ergo age docta cohors, ſiquidem ſine numine Phœbi
Ardor agit pectus, juvat ardua culmina Pindi
Linquere, & Aoniis longum vale dicere Muſis,
Te meliora manent, nam ſe tibi divite ſylva
Fundit apex Libani, toto qui nobilis ævo
Tollit honoratas ſublimi vertice frondes.
Nec, (quamvis hinc nobilium clariſſima vatum
Gloria laurus abeſt) fuerint ſine munere vates,
Pro lauro nam palma viret *b*, pro munere cedrus,
Cedrus *c* Idumææ decus & victoria ſylvæ,
Quam neque læſit hyems, neque fervida torruit æſtas,
Nec valuit caries, nec edax vitiare vetuſtas,
Hic quoq; celſa patet *d* Platanus, currentis ad undam
Fluminis, & dulces in latum porrigit umbras,
Dumq; furens coquit æſtus agros, dum cætera languent,
Ridet, & æternos ſervat ſibi veris honores.

Quid vario memorem violaria miſta colore,
Quid florum immortale decus, quid candida frontem
Lilia *e*, quid tribulos inter ſpinaſque rubentem
Purpureo fulgore roſam *f*, quid odora per agros

a Fons ſignatus. *b* Quaſi Palma. *c* Quaſi Cedrus.
d Quaſi Platanus. *e* Sicut Lilium. *f* Plantatio Roſæ.

Balſama *a* quid florem vulgò creſcentis Amomi.
Ingredere, ô vates, & puræ Virginis hortos
Viſere ne dubita, nec enim draco pervigil iſtas
Excubat ante fores, oculiſque minantibus horret,
Contritus fera colla fremit, domituſque Mariâ *b*
Vindice, magna tuo dedit argumenta labori.
Inſignes igitur præſtat celebrare triumphos
Virginis, & claro victricem extollere verſu,
Seu micat æthereos inter clariſſima ſoles,
Seu viget æternas inter pulcherrima Cedros,
Seu ſola, indomito pedibus dat fræna draconi.
Hæc laudis tibi multa ſeges, nec digna labore
Præmia defuerint, meritos Amienus honores
Proponit, quem purpureo Themis alma decore
Induit, auguſtoſque inter conſidere patres
Fecit, & in medio populis dare jura Senatu;
Hic ille æquali qui ponderat omnia libra
Integrâque fide decreta oracula fundit,
Victori pro jure dabit decreta labori
Præmia, & æternis mandabit carmina faſtis.

a Quaſi Balſamum. *b* Ipſa conteret.

CHRISTUS
A MAGIS ADORATUS.
Fragmentum Epici Carminis.

INſueto canimus monſtratum ſidere numen,
Atque humili ſtratos cultu ad cunabula Reges,
Herodiſque nefas: Vos, ô queis ſtamine rupto
Mortalis vitæ, cæli aurea templa recluſit
Immatura dies, ubi lætum ducitis ævum

Virgineos inter cœtus. ſi vindicis Agni
Fas immortales Thalamos aſſiſtere circum,
Et feſto- æternos plauſu celebrare triumphos,
Cantibus aſpirate meis Tuque innube conjux
Dexter ades, Joſephe, tuos meminiſſe labores
Quippe juvat, matriſque fugam, maternaque furta
Queis debet munduſque Deum, & Deus ipſe ſalutem.
Venerat ille diù per tot præſagia vatum
Pollicitus Ductor, tanto exſpectatus amore
Iſacidis. Et jam monitis cœleſtibus acti
Paſtores ſtipula effultum, ſub rupe cavata
Confeſſi fuerant donis & ſimplice cultu.
Non tamen his nati adventum clareſcere ſignis
Contentus genitor, tacitoque in corde volutans
Fœderibus pactum æternis mox affore tempus,
Quum maria & terras omnique ſub axe jacentes
Ille jugo premeret populos, victorque teneret
Imperio; dictis Gabrielem talibus infit.
Vade age conſilii interpres fidiſſime noſtri;
Cui primas opere in tanto committere curas,
Paciſque arbitrium placuit: felicia verſùs
Arva Sabæorum, Nabathæaque mœnia tende.
Tres illic; genus Abrami de matre Cetura
Egregium, ſceptris Reges dominantur avitis;
Quos agere ad ſanctæ juvat incunabula prolis
Primitias populorum & magni exordia regni.
Atque illi magicas ſtudio certante per artes
Nequicquam pergunt Infantem exquirere cœlo
Venturum imperio mundi; quem præſcius olim
Fatidico cecinit mônſtrandum ſydere vates.
Tu miranda novi partus myſteria pande.
Fauſtaque ante oculos accenſa lampade, ſacrum
Ad ſpecus incolumes Ephratæaque limina ducas.
Dixerat. Ille dato pro munere numen adorans
Ætherias linquit ſedes; pronoque volatu
Ima petit, Zephyroſque leves prævertitur alis.

Qualis ubi ſpecula volucer prędator ab alta
Gramineis vidit ludentem in vallibus agnum,
Ex templo ruit & rapido ſuper agmine fertur
Pręcipitans aut quale atris è nubibus olim
Excuſſum fulmen micat, ardentemque per auras
Pone trahens ſulcum magno cum murmure cæli,
Labitur: Haud aliter Gabriel ſecat aëra pennis.
Jamque propinquabant montes, ſaltuſque beati
Arabiæ: tellus ubi molli fragrat amomo,
Et thuris gratos caſięque exhalat odores.
Nox erat, & placido per opaca ſilentia lapſu
Mulcebat ſomnus curas hominumque labores.
Undique per terras pecudes pictęque volucres
Conticuere premunt ſopiti murmura venti,
Et fluvii ſtratis labuntur lenius undis.
At non feſſa toro dederat requieſcere membra
Gaſpar Iectanides, mollis cui regna Sabęæ
Miſſa retro centum per avos in pace tenebat
Jam ſenior: ſed adhuc longævo in corpore vires
Sufficiunt, neſcitque annorum damna ſenectus.
Hic tum more ſuo nitidis lucentia flammis
Sidera ſublimi pernox luſtrabat ab arce.
Addiderant ſeſe comites Gephareius heros
Baltaſſar, cui fert meſſem Panchæa quotannis
Thuris odoratam, Nabathęæque arbiter aulæ
Melchior; inſignes Chaldęis artibus ambo,
Ambo avidi rerum ſortes præſcire futuras.

Specimen hîc habes operis imperfecti, quod ad quartum uſque librum producere ſtatuerat Autor, eo ipſo anno quo è vivis exceſſit.

ITER PHILOSOPHIÆ.

AEris in campis ibam de more, volanti
Vectus equo: qua ſe nocturnæ argentea Lunæ
Oſtentat regio procul, & cantata Poëtis
Mercurii Veneriſque auro palatia fulgent,
Gaudebam gentes liquidum per inane tueri,
Oppidaque & muris cinctas motantibus urbes.
Mirabarque, virûm cernens exortia molis
Corpora, flaminibus nutriri & vivere vento.
Ecce autem ſubito ſtimulatus corda furore
Hinnitus ciet horrendos, & calcibus auras
Inceſſit quadrupes. nunc prono vertice deorſum
Præcipitat: nunc arrecta ſe tollit in altum
Cervice, inſanoſque micans dat in aëre ſaltus.
Nec mora, nec requies, dum me male lora tenentem
Prenſantemque jubas, ſuccuſſu denique crebro
Proruat, & vacua reſupinum effundat in æthra.
Volvor in abruptum, longoſque per aëra ludos
Exhibeo, miſerè fatum ridentibus auſtris.
Ut rudis ignipedum quondam moderator equorum
Cui buſtum patriis tellus incenſa favillis
Præbuit, Auſonias cecidit ſemiuſtus in undas;
Sic mihi præcipiti temere volventia lapſu
Membra ferebantur: ſic me ultima fata manebant,
Ni Deus auxilio miſerum præſente levaret.
Poſtquam lux animo, & noſtræ data copia mentis,
Ecce autem ignotis nova ſe ſpectacula formis
Objiciunt, rerumque inverſus cernitur ordo.
Excutio me me nequidquam, oculiſque morantem
Pollice deducto detergere tento ſoporem;
Quamquam inſomnis eram, nec viſis, luminis error

Sed res ipſa fidem, mirâ novitate levabat.
Non illic roſeos gemmatis flectit habenis
Quadrijugas, curruve diem Sol invehit orbi.
Nam neque per tantos ævum exegiſſe labores
Mollia fata ſinunt, nec quo cęleſtia Rege
Aſtra tument, opera immeritum ad ſervilia damnant.
Quin adeo licet ille rotis luſtrare ſerenum
Ambiat igniferis, molles tamen ire per undas
Æthra neget, liquidoque vetet decurrere cœlo.
Ergo Chryſoliti, cæſique in fruſta lapilli
Auratęque trabes, & ſectilis unio, multâque
Arte laboratus Cyanus, poſitoque rigore
Paſſus flecti adamas, coſtis per mutua nexis
In cymbam ingentem coëunt. nitet illa decore
Ambiguo fulgens gratoque errore colorum:
In medio pater ipſe ſedet, cui tempora circum
Spargunt innocuę pretioſa incendia flammæ,
Inducuntque diem. ſtat puppi inſomne ſub ima
Longęvum fatum, cui clavi cura regendi,
Imponitque vię leges, & fœdere certo
Nunc movet ad dextram, verſo timone ſiniſtram
Nunc petit, & vigili prudens cavet arte, ſupremos
Ne vaga tranſiliat cœli ſpectabilis orbes
Cymba, vel ad ſcopulos alvum colliſa latentes
Naufragio involvat Solem, & mortalibus ægris
Inferat horrentes, ignarâ nocte, tenebras.
Parte aliâ celeres geminatis verſibus horę
Conſidunt tranſtris, adductaque brachia verſant
In numerum, remiſque ſonantibus ęquora torquent
Illa fugit, cœloque viam tenet acta ſecundo.
At Venus, aſtrorumque erratica turba minorum
Circumfuſa rati, varios dat in ęquore ſaltus,
Purpureoſque ignes cryſtallo impune liquenti
Commiſiſſe juvat, gaudetque immerſa profundo
Interdum attonitis ſubducere lumina terris.
Quin etiam (ſi fas portentis credere tantis)

Cum Solem curſûs piget, aut defeſſa laborum
Brachia, conceſſâ momenta quiete relaxant:
Ipſa ingens tellus aſſumptis mobilis alis
Volvitur in gyrum, & rapido ſe turbine verſat
Immotum circa Solem, ſtellaſque morantes.
Ac veluti verubus capo trajectus ahenis
Torquetur, lentoque aſſanda omenta calori
Commodat alternis vicibus revolutus; at illi
Solvitur extemplo flammâ ſuperante liqueſcens
In guttas latus, & fluida pinguedine manat.
Sic ubi perpetuo tellus exercita motu
Incaluit, Soliſque vaporibus intima fervit,
Tum demùm uberibus per membra immania guttis
It ſudor, ſalſique excuſſo à pectore rores,
Unde mare undiſonum, fonteſque & cœrula ſtagna,
Juncoſique lacus, cognataque flumina nimbis
Orta tument, gremiumque rigant infuſa parentis
Quid memorem piceas inculta per arva pruinas,
Nigrantique gelu, & nivibus juga ſqualida pullis?
Non, ſi cuncta velim memori comprehendere verſu;
Sit lux una ſatis tam longo impenſa labori.
Interea hęc dubiæ ſurgit ſententia menti
Explorare locos, quas ſim dejectus in oras
Quęrere, & ignotum terrę perdiſcere nomen.
Montis in abrupto, callis ſe devius offert
Ad lęvam, quà rara ſolum veſtigia ſignant,
Sentibus obductus late, atque horrentibus hamis.
Hac iter ingredior. nec longum tempus, euntem
Anfractus dubii excipiunt, penituſque viarum
Confuſâ ſerie irremeabilis implicat error.
Quippe tenet triſtes Logicûm gens improba lucos,
Cui ludus ſtruxiſſe dolum, laqueoque tenaci
Irretire viros fraudeſque innectere cœcas
Ignaris operum tantorum, artiſque malignę.
Atque ubi ſe in caſſes immiſit prędа paratos,
Fit ſonitus, latebriſque ſuis facto agmine, ovantes

Exiliunt, plauduntque manus, pedibuſque viciſſim
Inſultant, gaudentque infeſti illudere capto.
Qualis ubi ad Solem Muſcę inſidiata volanti
Orditur graciles deformis aranea telas.
Principio filos, queis turgida ſufficit alvus,
Diverſas trahit in partes, operiſque futuri
Fundamenta jacit. tum ſtamina ducit in orbem
A ſummo intexens, & dędala retia tractim
Subnectit, ſpatiiſque ſinus diſcriminat æquis
Arte laboratos multâ. jam ſi quis oberrans
Implicuit pennas fucus, micat illa ſonantem
In prædam inſiliens, & ſanguine paſcitur atro;
Moxque leni circum percurrens omnia lapſu
Inſtaurat vitia, & maculas reſtringit hiantes.
Ah! quoties unquam aligero inſediſſe caballo
Pœnituit! quoties triſtes lamenta per umbras,
Et gemitus fudi & vocem ad ſuſpiria duxi.
Errabam cœca in ſylvâ, incertuſque ferebar;
Et modo fallacis deluſus imagine clivi
Dum ſequor, acceleroque gradum & tuta omnia ſpero;
Heu miſer! in ſtructas greſſu fallente, ruebam
Inſidias. mox ancipiti dilemmatis unco
Fixus utrimque latus, ſtrictoque ſophiſmate inhęrens,
(Dii procul à terris tantas avertite peſtes!)
Fatalem in ſaccum ſubito abſorbebar hiatu.

Ecce autem denſa ſylvarum in nocte vaganti
Viſus adeſſe procul ſonitus, magnumque cieri
Murmur, & ingenti cœlum fremere omne tumultu;
Illa mihi ſævos paulùm fortuna timores
Leniit, hîc aliquam demùm ſperare quietem
Auſus, & exhauſtis finem promittere curis.
Ergo invado viam quo clamor in æthera ſurgit
Plurimus, & patulas propior jam verberat aures,
Sicque per adverſos ſentes, per & aſpera crudis
Teſqua rubis, ægrè paſſu eluctatus anhelo
Expedior tandem; & cœlum ſe reddit apertum.

Campus erat vaſtum latè porrectus in æquor
Sacrorum locus, & regni delectus habendis
Conſiliis, quo ſeſe exacto menſe Sophorum
Turba frequens, priſcoque Patrum de more, Senatus
Contulerat, ſolitoſque Deæ inſtaurabat honores
Cui lites, rixæque & triſtia jurgia cordi.
Namque fidem ſi quam potuit meruiſſe vetuſtas
Deformi poſtquam regno, noctiſque profundæ
Pulſa chao, divûm imperiis Diſcordia ceſſit:
Illa iræ impatiens, & cœco turbida luctu,
Ergo, ait, invitæ patriis excedere regnis
Cogimur, & toto fugiens Diſcordia mundo
Æternum feret exilium; dum templa ſuperbus
Aurea, ſtellataſque domos Saturnius implet?
Non ita. tortilibuſque ſimul flagra nexa colubris
Impulit in terram: impulſu tremit excitus orbis;
Diſſultant emotæ atomi, & compage ſolutâ
Aëra per vacuum rapido ſe turbine vertunt.
Sic ubi rauca fremens libycis incumbit arenis
Africus, horrentique attollit vertice nubem
Pulveream, volat illa, & flatibus acta ſecundis
Fert populis ſubitam volucri caligine noctem.
At Dea pugnaces nimbos, aciemque volantem
Perpetuo aſtrinxit nexu, vetuitque moveri,
Et ſtabilem primùm juſſit Diſcordia pacem.
Fœdere quo novus actutum ſeſe extulit orbis
Multà ſuam referens diſcordi in mole parentem;
Inde ſophis feſti ritus, & menſtrua fluxit
Relligio: inſtabant animis flagrantibus omnes
Terribilemque Deam magno clamore ciebant.
Ut vero ignotumque virum, vultuſque Sophiſtæ
Aſpexere novos, cunctis, mora nulla, relictis
Agglomerant ſeſe, mediumque hinc inde coronant,
Ad quos (ut memini) ficta hæc ſum voce locutus.
Divini proceres, (nam quo vos nomine tandem
Appellem potius? certe haud mortalia vobis

Ora inſunt, & vox homines negat) ille ego duræ
Invidia ſortis, fatiſque coactus iniquis
(Scitis enim) ſacras acceſſi ignarus in oras
Et pedibus nolens violavi regna profanis.
Eſte boni, facileſque, pias miſeratio mentes
Si qua movet, veniam & caſus, non noxa meretur.
Plura locuturo; mediis è millibus unus
(Olli natus erat quo non præſtantior alter
Seu ſannas vibrare, gravetque animare cachinnos)
Neſcio quæ ſecum nulli agnoſcenda Latino
Infremit, impuroque procax immurmurat ore.
Protinus excepto pubes temeraria ſigno
Solvitur in riſus, & ſibila jactat hianti
Gutture: ut arcadiæ pecuaria diſſona rudunt
Sævus ubi fibras ſtimulat furor: æmula late
Reſponſant nemora, & fremitu cœlum omne remugit.
Nec mora, diſſiliunt omnes, & omiſſa retractant
Jurgia, rixarumque iterum ſacra prælia miſcent.
Unus quem patriæ cœlo meliore fruentem
Rhetorices, primis quondam inſectatus ab annis
Egerat immeritum frater, proprioque fugarat
Limine crudelis, vultu congreſſus amico
Ultro adit, hocque animum placidus ſermone ſerenat.
Pone metum, Philomuſe, neq; hinc ſe protinus omnis
Exegit pietas, nec ab omni pectore ſenſus
Exulat, ô longis tandem conceſſe querelis!
Namque mihi haud vanis dudum conſulta canebat
Auguriis vates, Cadmæi heliconis alumnum
Affore quo durum ſocio effugiſſe liceret
Exilium, & patrias aliquando reviſere ſedes.
Quare age macte animis, non hæc ſine numine divûm
Eveniunt, tantoſque olim volviſſe labores
Pars quoque laudis erit, manet & ſua gloria feſſos.
Sic ait, & blandis ſtringens amplectitur ulnis.
Hærebam dubius rerum, fixoſque tenebam
Multa putans oculos: veluti cum corpora ſomno

Semiſopita jacent, nec habet lux integra mentem.
Ille feros ritus, legeſque ac jura Sophorum
Barbariemque docet, nullo ut manſueſcere cultu
Corda ſinant, claraſque virûm gens oderit artes.
Externoſque homines, ſi quos fortuna nefandas
Appulit ad terras, vinclis & carcere claudant
Perpetuo; aut tactu medicatos arboris atræ
Inficiant, cogantque ſuos inoleſcere mores.
Arbor erat campum ramis diffuſa per omnem
(Porphyriam indigenæ cultoris nomine dicunt)
Arbor mira, ingens, qualem nec priſca tulerunt
Sæcula, nec noſtris quiſquam ſuſpexit in arvis.
Ipſa adeo in medio radicibus æthere fixis
Adverſata polum, & deſpecti lumina Solis
Nititur infernè, reſupinaque vertice ſummo
Lambit humum. Quis multiplices comprehendere formas
Arboris, atque vices cunctas æquare canendo
Sufficiat? primi deformia robora trunci
Ens habet, aſt illud geminata traduce proles.
Hinc tenue eventum, hinc famâ ſubſtantia major
Excipit. Ac veluti longo depicta triumpho
Aurea Borboniæ referens primordia gentis
Scinditur in Reges Lodoici à ſtirpe vetuſtâ
Deductos, ramiſque exit felicibus arbor,
Perque altam ſeriem magnorum miſſa nepotum
Divinas Atavi ſpargit cum ſanguine dotes:
Sic poſtquam in duplicem diviſo codice ramum
Ens abiit, tum deinde propagat uterque viciſſim
Demiſſum in ſpecies genus, & per lubrica mille
Nativas late fundit divortia vires.
Utque rudem plantam, cui multa ex arbore germen
Inſeritur, juſſit varios aſſumere mores
Vinitor & centum in diſcrimina fingere ramos;
Purpureis illic onerari brachia baccis
Miratur, duros hic Phyllidis olere fœtus.

Parte aliâ in cornum mutatur, at aurea pruna
Fert alibi, ramoſque pyris incurvat olentes,
Unica, cultori pomaria ſufficit arbor.
Haud aliter ducta in varias ſubſtantia formas
Induitur, ſpeciemque trahit quam quælibet indit
Differitas, mixti & diſcriminis imprimit ordo.
Atque ita palmitibus ſummis (mirabile dictu)
Omnimodæ rerum ſpecies hominumque ferarumque
Et quæcumque carent ſenſu aut vitalibus auris
Veſcuntur, longo ſpectanda examine pendent.
Illa quidem multo indigenis celebratur honore,
Et dubiis conſulta refert oracula rebus.
Sed fera vis olli, ramiſque nocentibus atrum
Virus ineſt, ipſiſque lues afflatur ab umbris.
Hæc hominum concepta ſinu, penituſque medullis
Peſtis adacta furit, mentemque & corpus eodem
Corripit exilio, cogitque humana ferinis
Ora ſonare modis, molles dediſcere cultus
Eloquii, & veneres linguæ obliviſcier omnes.
Hinc quoque tetra viris ſpecies, obductaque turpi
Membra ſitu, inculti crines, promiſſaque barba
Fœdius, obſeſſæque gravi raucedine fauces.
Interea crudique ſenes & læta juventus
Obnixi inter ſe toto jocularia campo
Bella laceſſebant, martemque ex arte ciebant
Innocuum. paribus fulgent viſenda ſub armis
Caſtra, pares animos trepido ſub pectore verſat
Laudum arrectus amor dubiique cupido triumphi.
Centauros alii preſſis moderantur habenis;
Aſt alii hippotygres domitant, junctiſque feruntur
Sphyngibus, hircoſueſque feros calcaribus urgent.
Gaudet hic univocis, hic lenta paronyma torquet;
Pars domat urſilupos, pars acribus anguicamelis
Terga premit, geminoſque alius caput hydroleones
Cogit fræna pati, & domini ſervire ſubactos
Imperiis, greſſuſque alieno carpere nutu.

Præcipue turmas inter clariſſimus omnes.
Ductor uterque micat, ſocioſque in bella ruentes
Increpat, & verbis reſides caſtigat amaris,
Et teretem cannam Ductorum inſigne ſuperbum
Plurimus oſtentat. Currus vehit arduus unum
Gorgonibus bijugis raptus, totidemque chymæris.
Illę ſulphureos oculiſque & naribus ignes
Cum ſonitu eructant: it creber in aëra nidor
Fumidus, & tetram exhalat per inane nephitim.
Alter ab adverſo magna ſe mole ferebat
Monſtrũ immane premens, cui vaſto à corpore centum
Aſſurgunt capita, & totidem calcata fatiſcit
Sub pedibus tellus (graio τὸ τέρας τι vocarunt
Nomine majores, ſed deinde relatio dicta eſt,
Monſtra quod omnigenis referebat cuncta figuris)
Phantaſis, ut memorant, pregnans aquilonibus auris
Furtivo conceptam utero ſub luminis oras,
Hanc enixa feram eſt, Scyllę Enceladoque ſororem.
Olli ſi capitum ferro reſcindere meſſem
Horrificam, innumeroſque pedes pręcidere tentes
Ilicet ex uno geminum ſuccreſcere trunco
Suſpicias. Utque Herculei pars prima triumphi
Bellua, vulneribus viget, increſcitque ruinâ.
At pedites longo mavortem examine turbant
Tyronumque manus, plebeſque ignara palęſtrę,
Prompta ſequi quo juſſa vocent, quo fata ſuorum
Inclinata ferant: nec enim illos improba ferri
Incurvat moles; non ęris inutile pondus
Membra ligat, dum firma facit, corpuſque tuendo
Opprimit: erumpunt medios impune per hoſtes,
Et gladios nudi prætentaque tela laceſſunt,
Objectantque caput jaculis ſtridentibus ultro,
Intactique manent, & ferrum læditur unum.
Obſtupui viſu tanto, cauſaſque latentes
Quæſivi tacitus fruſtra; & ſic ore locutus.
Fide comes (nam te ſecreta per omnia ductum

Nulla latent) quibus illi herbis, quo carmine tecti
Theſſalico? Stygiiſne immerſi membra lacunis
Rurſus Achilleæ renovant miracula famæ?
Talia quærenti contra ſic rettulit heros.
Vir fuit ignotâ procul hinc tellure creatus
Arte potens, dexterque manu quæcumque magiſtrâ
Fingere, & ingenio naturas vincere rerum.
Dædalus ignipotens, & Mulciber ipſe, Deorum
Quamquam opifex multo inſignem ſe jactet honore,
Deceſſere viro tamen, & miracula dextræ
Attoniti ſtupuere ſimul, ſimul ambo laborem
Deſpexere ſuum & coram agnoviſſe magiſtrum
Non puduit Divos. ille irrevocabile tempus
Præfixaſque vices annorum, Atroponque ſeveram
Vinceret, & rurſus conſumpta revolvere penſa
Cogeret indociles parcas, factumque juberet
Imperiis parere novis. molem ille, ſuumque
Corporibus pondus, facili ſubducere ludo
Suetus, & immanes concludere pugno Elephantos,
Et penetrare ſolum, perque intima gliſcere ſaxa
Ærataſque trabes, rigidumque adamanta ſubire
Vidi; egomet cum mille ſimul (mirabile viſu)
Impleret loca late ingens exercitus, unus
Et daret immanes duplicato corpore pugnas.
Illi inter ſeſe fraterque & amicus & hoſtis
Vulneribus læſi inflictis, proprioque triumpho
Victores, victique decus ſine laude ferebant.
Ergo avidus rerum dum arcana latentia tentat
Scrutaturque, novaſque aciem demittit in artes.
Æternas atomos, & nullo pervia ſenſu
Puncta parat ſi qua ratione aut viribus ullis
Fas erit in molem conflare, atque addere corpus.
Nec facilis labor: omnem adeò ter contulit artem
Ingenii & niſus cunctos: ter ceſſat inanis
Niſus, & in ventum nequidquam ars irrita fluxit.
Ille acres animos nunc huc, nunc dividit illùc

Et quam multa magis cœptis ingentibus obſtant
Tam magis urget opus, creſcitque laboribus ardor;
Et multâ quæſita placet mercede voluptas.
Jamque inflata modis tandem ſe tollere miris
Corpora cœca videt, tactuque animata potenti
Creſcere, & in gracilem paulatim aſſurgere molem
Ut liquor incluſus terebratæ in arundinis alvo,
Quem tenui inſpirans flatu, & genialibus auris
Perfudit puer, in bullam tumefactus inanem
Tollitur: illa novas momenta in ſingula vires
Arripit, & ſubitò major majorque videtur,
Perque ſuos creſcit numeros, dum denique ſummum
Æquarit cumulum, moliſque impleverit orbem.
Haud aliter puncta occultas tumefacta per artes
Agminibus tacitis ſurgunt. ſtupet ipſe, ſuumque
Miratur fabricator opus, gaudetque tuendo.
Tum varios adhibet fotus, vireſque miniſtrat.
Treſque fluentis ubi modulos, tres temporis addit
Particulas, totidemque ſequacis fragmina motûs
Inde ubi magna ſatis plenumque habuere tumorem;
Armorum in varias ſpecies molliſſima fingit
Sedulus, artificique ſequacem pollice tractat
Materiam, galeaſque & nullis pervia telis
Scuta facit, parmaſque leves informat habendo
Tecturoſque latus cudit Thoracas. at illos
Non vis ulla virûm, non centum impulſa lacertis
Haſta domet; non fulmineos imitata ſonores
Machina, ferratos licet æneo pondere muros
Saxaque, & immenſas magna vi diruat arces
Exuperare queat, minimamque inducere labem.

Deſunt reliqua.

POESIES

POËSIES
FRANCOISES
DU P.
COMMIRE.

AVIS.

ON joint au Recueil des Poëſies Latines du P. Commire, quelques Pieces Françoiſes qu'il a faites en diverſes occaſions ; Il avoit beaucoup de naiſſance pour ce genre de Poëſie, quoiqu'il ne s'y ſoit jamais fort appliqué. On a lieu d'eſperer que ces petits Ouvrages auront l'agrément du Public, puiſqu'ils ont merité l'eſtime & les éloges de Mademoiſelle Scudery la Sapho de noſtre ſiecle. Quoiqu'on ait affecté de ne mettre dans ce Recueil aucune des Pieces qui ſont dans le premier Tome, on n'a pû ſe diſpenſer d'en réimprimer cinq ou ſix, dont on donne les Traductions ; on a par-là voulu épargner au Lecteur la peine de les chercher ailleurs.

LA NAISSANCE DE L'AN NOUVEAU MIL SIX CENS SOIXANTE-QUATRE,

HISTOIRE Allegorique.

IL faut vous envoyer aujourd'huy vos eſtrennes;
Une autre fois vous m'envoyrez les miennes ;
Car j'entends bien que quelque jour
Vous me régaliez à mon tour.
Or, cher Amy, ce que je vous envoye
Ne vient pas du pays de l'or ny de la ſoye :
Ce n'eſt pas un preſent de pierres de grand prix,
Des diamans, de l'Ambre gris ;
Ny tout ce que le luxe & l'avare fortune,
Enlevent à la Terre & volent à Neptune.
Au lieu de ces menus bijous
Qui ne ſont pas dignes de Vous,
Sage & docte Ferrare :
Je vous en envoye un qui ſans doute eſt plus rare ;
Je croy qu'il vous paroiſtra beau,
C'eſt l'AN NOUVEAU.

Et ſans mentir on peut dire que c'eſt une choſe qui n'a point de pareille, & qu'elle eſt unique en ſon

eſpece ; car il n'y a jamais eu, & il n'y aura jamais qu'une Année MIL SIX CENS SOIXANTE-QUATRE ; & Dieu, Tout-puiſſant qu'il eſt, s'efforceroit en vain d'en faire deux, ou de recommencer celle-cy pour la ſeconde fois. Prenez donc bien garde, s'il vous plaît, de la perdre, puiſqu'il vous ſeroit impoſſible de la recouvrer. Je ſuis aſſeuré que ſi vous l'aviez perduë, vous la regretteriez éternellement.

Mais ce n'eſt pas maintenant la ſaiſon
De faire une longue leçon,
Sur le cours de nos ans, & ſur le bon uſage
Qu'en doit faire tout homme ſage.
Je n'ay deſſein que de vous divertir
Par un conte fait à plaiſir :
Car foy d'Ecrivain veritable,
Tout ce que je vais dire eſt une pure fable,
Que j'ay puiſée en mon cerveau.
Le ſujet en eſt tout nouveau :
Et devant moy perſonne, que je penſe,
Du nouvel AN *n'a chanté la naiſſance.*
Mais enfin, ſoit fable ou chanſon,
Vous n'y trouverez rien ſans rime ou ſans raiſon.

Il y avoit déja prés de douze mois que l'AN-PASSE roûloit tellement quellement, tantôt bien, tantôt mal. Quoy qu'à tout prendre, on peut dire qu'il ne fut jamais bien ſain : car même durant l'Eſté, il fut continuellement attaqué de * rhumes, de fluxions & de cathares. Ce qui le rendoit ſi chagrin qu'il ne faiſoit preſque autre choſe que pleurer. Tous ces ſymptomes firent juger aux Medecins qu'il ne paſſeroit pas l'Hyver. En effet, le matin du 31. de Decembre, il ſe trouva beaucoup plus mal que de coûtume : ſur le ſoir il commença viſiblement à baiſſer : & enfin

* L'année précedente fut extraordinairement pluvieuſe.

étant tombé en une grande défaillance, il expira comme minuit ſonnoit au gros horloge du Palais d'Orient.

Il fut regretté de peu de monde pour ſon humeur ombrageuſe & inconſtante. Et il faut avoüer que ſon regne n'a eſté que trop malheureux à cauſe de la révolte des Saiſons, qui a traîné aprés ſoy la deſolation de la campagne, & porté juſques dans les Villes la famine & la mortalité.

Le Soleil *a* ſon Pere témoigna aſſez qu'il n'eſtoit pas marry d'en eſtre débaraſſé : car luy qui eſt le Dieu de la Medecine, n'avoit qu'à s'arreſter un peu de temps *b* pour luy prolonger la vie. Mais il n'en voulut rien faire, de peur qu'on ne lui reprochât tous les deſordres d'un ſi mauvais gouvernement.

